This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600007061K

32.

410.

M. TULLII CICERONIS

CATO MAJOR.

M. TULLII CICERONIS

CATO MAJOR,

SIVE

DE SENECTUTE.

AD EDITIONEM ORELLIANAM CASTIGAVIT,
ANNOTATIONE ILLUSTRAVIT ET

IN USUM SCHOLARUM

EDIDIT

J. J. DE GELDER,

Philos. Theor. Mag. Lit. Hum. Doctor.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. C. CYFVEER,

MDCCCXXXII.

410.

BODLEIAN LIBRARY

VIRO. DOCTISSIMO

PETRO. DE. RAADT

PHILOSOPHIAE. ET. LITERARUM
DOCTORI

IN. PERENNEM. AMICITIAE. MEMORIAM

HANC. CICERONIANI. DIALOGI. EDITIONEM

J. J. DE. GELDER

D. D.

PRAEFATIO.

Non dubito, fore plerosque, qui hoc genus interpretandi leve et non satis dignum doctissimorum virorum scriptis judicent. Sed hi erunt fere, aut qui pueris docendis bonas horas consumere non amabunt, aut qui inauditam doctrinae famam venantes, nihil rectum putabunt, nisi in quo laudando prudentiam affectare queant. Atque in eo hi disputant (doctos enim semper excipio): eas sibi veterum scriptorum editiones non probari, quae tironum usui accommodantur. Cujus sententiae eam fere rationem reddere solent: pueris infructuosum esse, quod parvo labore ad veterum scriptorum intelligentiam perveniant, illudque agendum esse fabulantur, ut juvenes magna animi contentione ipsi e difficultatibus expedire se discant. Hi, nisi Minel-

lia-

lianam, aut nescio quam aliam, interpretationem, reprehendant, faciunt nae (quod ait Terentii Prologus) intelligendo, ut nihil intelligant. Quid? quod juvenes omnes difficultates explicare non possunt, quae discipulos in veterum libris offendunt, nonne inanis illorum et imprudens ratio esse videtur? Sunt quaedam in iis, quorum interpretatio totius antiquitatis notitiam requirit, imo vel doctorum ingenium exercet. — At diligens praeceptor quaevis memoratu digna cum discipulis communicabit. — Non dubito quin facturus sit! Neque enim cum iis reprehensoribus disputare velim: ἀργαλέοι γὰρ ἀντιφέρεσθαι. Verum dic sodes, o Bone! num omnia antiquitatis monumenta juvenum manibus versantur? Num Platonis, num Plutarchi, num Aristotelis, num tot alia, quorum oratio saepe conferenda est, ut intelligant discipuli, scriptores, quos legunt, e quibus fontibus sua hauserint, quorum verbis usi sint, aut quos imitaverint. Quo in genere sunt etiam Grammatici, vel antiqui scriptorum commentatores, quibus dici vix potest quantopere interpretatio sublevetur: sed quorum aditus haud ita juvenibus patet, quum doctrinae copia, quam ser-

servant, prudenti consilio magnoque labore et delectu, quasi e tenebris, eruenda sit. Hoc igitur pueris mandare qui studet, nihilo plus agat, quam si det operam, ut eum ratione insaniat. Adeoque nihil dicunt, qui veterum scriptorum editiones in usum discipulorum susceptas infructuosas esse contendunt. Atque, ut ille Platonis δημιουργὸς aeternum habet exemplar ad cujus similitudinem hanc omnem pulchritudinem ordinavit, sic discipulis, quibus, quid sit interpretandi artificium, haud ita perspectum est, exemplo opus est, quo in legendis veterum scriptis utantur, quodque iis domesticam commentandi viam patefaciat. Fateor tamen ejusmodi editionibus, quae tironibus parantur, suos vix esse honores: beatus ille, qui in iis denique culpam vitaverit, at laudem non meruit! Hinc fortasse, quod doctissimi viri rarius iis operam dare soleant: quasi vero, ut alios taceam, nec Hemsterhusius, nec Ruhnkenius nec Wyttenbachius, ejusmodi libellos ediderint, quos juventutis causa conscripserint. Equidem non ea sum temeritate, ut hanc qualemcumque operam, in Ciceronis senectute interpretanda collocatam, cum eximiis ingenii monumentis comparatam esse

velim, quae tot tantorumque virorum doctrinae copiam testantur. Et sane puerorum haec institutio haud ita singularem requirit interioris doctrinae apparatum: in qua institutione illud etiam Boerhaavii, quam latissime patet: simplex sigillum veri.

Juventutis docendae causâ hoc interpretandi munus suscepi, quo utrum probabiliter et cum fide functus sim, meum non est judicium. Verumtamen quo rectius alii de hac Senectutis editione judicent, breviter indicandum esse videtur, quomodo illud opus perfecerim. Priusquam Orellius Ciceronem ad fidem Msstorum et praestantissimarum editionum ediderat, Ernestina exempla fere in schodis regnabant. Et sane Ernesti, viri doctissimi, laudibus aliquid detrahere ingratum sit, pro ejus insigni doctrina, quae literis profuit quam plurimum. Multos tamen in ea editione inesse errores, multaque negligenter elaborata, non una est doctorum querela. Haec igitur causa est, cur Ciceronis verba ad fidem editionis Orellianae refinxerim: in quo tamen ita versatus sum, ut praecipuam Ernestianae lectionis varietatem subinde notarem, nec tamen,

ut

ut qui jurat in verba magistri, ab Orellio prorsus non dissentirem. Neque critices facem propius huic editioni, tironum causâ quae suscepta est, admovendam esse existimabam, ne juveniles oculi nimio splendore praestringerentur. Quod Orellii annotationem p. 54. addiderim, hoc eo a me factum esse consilio fatebor, ut videant tirones, qua ratione antiquarum artium monumenta, etsi rarius fiat, subinde tamen in artis criticae usum conferri possint: neque prorsus inane et prodigum esse illud lapidum effodiendorum studium, in quo ridendo plures sibi justo beatiores videntur. De reliqua annotatione ut moneam, mihi vix opus esse videtur, in qua illud praecipue efficere conatus sum, ut juvenum captui quam maxime accommodata esset. In iis igitur si quid humana parum cavit natura, humaniter mihi illud ignoscant juventutis praeceptores doctissimi et emendent. Neque ego hac una Senectutis editione officio defunctus esse arbitrabor: quam si videro harum rerum peritis probari, duo libelli, sed volumine magis spisso, selectas Ciceronis epistolas et librum de Amicitia complectentur. At, ne malevoli obtrectatores,

si qui sint, illud mihi vitio vertant, quod novos promittam et crudos fortasse diligentiae fructus, antequam, Timaeo Locro edendo, fidem datam solverim: hi sciant, illum non quidem nonum premi in annum, sed otiari et domi se continere. Metuit enim bonus ille philosophus armorum strepitum et tranquilliora exspectat tempora, quam quae nunc vivimus. Dabit enim Deus his quoque finem: quo Divini Numinis beneficio, ut nobis tandem frui liceat, Deum Optimum Maximum precor. Scripsi Lugduni Batavorum, d. XIX. Augusti CIↃIↃCCCXXXII.

M.

M. TULLII CICERONIS

CATO MAJOR,

SIVE

DE SENECTUTE,

AD

T. POMPONIUM ATTICUM.

I. 1. *O Tite, si quid ego adjûro, curámve levásso,*
Quae nunc té coquit, et vérsat in péctore fixa,
Écquid érit práemî?

Li-

CATO MAJOR SIVE DE SENECTUTE] De *Senectute* colloquuntur Scipio, Laelius et Cato, T. Quinctio Flaminino et M. Acilio Balbo, Coss. quorum consulatus incidit in annum sexcentesimum quartum urbis. Sed ea est universi sermonis ratio, ut praecipua dicendi pars Catoni censorio tribuatur, qui explicat Ciceronis omnem de senectute sententiam De M. Porcio Catone conferant tirones Corn. Nepotem, Plutarchum Opp. T. I. pag. 336 sqq. et Tit. Livium, Lib. XXXIX. 40. nobilissimas ejus virtutes laudantem. — Sed operae pretium erit intelligere, quo tempore Cicero librum de Senectute ediderit. — Postea quam M. Brutus et Cassius, antiquae libertatis studiosissimi, C. Jul. Caesarem interfecerant, M. Antonius, laudatis Caesaris virtutibus, multitudinem adeo concitavit, ut Brutus et Cassius satius duxerint urbem relinquere, quam in vitae discrimine versari. His abeuntibus, Cicero quoque ex urbe rus profectus est: cui rusticationi cum alios, tum etiam librum de Senectute debemus: quamquam

Licet enim mihi versibus iisdem affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

Ille vir haud magná cum ré, sed plénu' fidéi:

Quamquam certo scio, non, ut Flamininum,

Sóllicitári té, Tite, sic noctésque diésque,

No-

ante libros de Divinatione sit scriptus. Namque Cicero *de Divin.* II, 1. haec ait. » *Interjectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de Senectute misimus,*" Manent vero Jo. Aug. Ernesti conjectura; hunc librum ante Idus Maji anni IↃↃↃX. jam fuisse conscriptum; quod, judice Viro Doct. his ipsis Tullii verbis efficitur, qui sunt ad *Epist. ad Attic.* XIV. 21. „ *Legendus mihi saepius est Cato Major, ad te missus. Amariorem enim me senectus facit.*" Quippe agebat annum sexagesimum tertium.

I. §. 1. *O Tite.*] Locus Ennii antea inter fragmenta ex incertis libris ab F. Hesselio notabatur. Qui vero nuperrime antiquioris poëtae reliquias edidit *S. E. Ictus*, Lipsiae 1825. hos versiculos ad Lib. X. versu 6. *Annal.* refert. Verborum sententiam jam interpretatus est Hesselius pag. 140. » Quam ego mercedem consequar, si animi tui molestias atque sollicitudines, quae te vehementer angunt, levavero." — *Adjuro* et *levasso*; Antiquae formae, pro *adjuvavero* et *levavero*. — *Coquit.* » *Cura* ut ait Varro *de L. L.* Lib. V. dicta est, quod cor urat: ad quam etymologiam videtur Ennius his verbis respexisse." Haec Hesselius, l. c. Rectius ad Ennium etymologia, non ad etymologiam Ennius. Nimirum *coquere* Graece πέπτειν vel πέσσειν pro *angere* jam Graecis fuit usitatum: Homerus. *Iliad.* XXIV. 639. κῆδεα μυρία πέσσω. Cff. Heyne *ad Virgil. Aeneid.* VII. 345. et Ruperti *ad Silium Italic.* II. 327. qui illam dictionem illustrant — *Versat.* Stallbaumius, diligens Platonis interpres, hunc locum contulit ad Platonis verba *de Republ.* l. 5. pag. 130, E. στρέφουσιν αὐτοῦ τὴν ψυχήν; *versant* i. e. angunt et metu replent *ejus animum.*

Flamininum] Est Titus Quinctius Flamininus, qui, ad Cynocephelas, Philippum, Macedoniae regem, vicit. Vidd. Livius XXXII. 12. et Plutarchus *in Flaminino.* pag. 371.

Ille vir] Ennius de se ipso, tamquam de quovis alio homine, in tertia persona, ad amicum T. Quinctium Flamininum loquitur. — *Haud magna cum re* i. e. pauper: laudat h. l. Hesselius Horatii *Epist.* I. 20, 20. *in tenui re* i. e. *in paupertate.* — *Plenu' fidei* Nimirum fidelissimum se amico Flaminino Ennius profitetur. Vulgo penultima genitivorum *fidei, spei, rei* corripitur. Sed Ennius producit *fidei*, quod facit etiam Lucretius Carus.

Ma-

Novi enim moderationem animi tui et aequitatem, teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem, et prudentiam intelligo. Et tamen te suspicor iisdem rebus, quibus me ipsum, interdum gravius commoveri, quarum consolatio et major est et in aliud tempus differenda. Nunc autem visum est mihi de *Senectute* aliquid ad te conscribere. 2. Hoc enim onere, quod mihi commune tecum est, aut jam urgentis aut certe adventantis senectutis et te, et me ipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter, sicut omnia, et ferre et latarum esse certo scio. Sed mihi, quum de senectute vellem aliquid scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrûm communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et jucundam senectutem. Namquam igitur laudari satis digne philoso-

phia

Moderationem] i. e. gubernationem. Est enim *moderari* i. e. gubernare a Latino *modus*: quae vox Graecam originem habet a verbo *μέδω rego guberno*; quod verbum Sophocles *Antigon* 1106. ex Homerico participio *μέδων* concinnasse videtur.

Cognomen solum Athenis deportasse] Qui elegantioris doctrinae famam consequi studebant, Athenas, utpote artium doctrinarumque sedem, proficiscebantur: causas vero, cur Atticus Athenas migraverit ibique tamdiu commoratus sit, diligenter explicat Nepos *in Attic.* II.

Te suspicor — quibus me ipsum.] Observent tirones ejusdem structurae consecutionem, quae in accusativo cum infinitivo retineatur, necesse est; Horatius *Epist. ad Pison.* 35. „*Hunc ego me — non magis esse velim.*" Latinitatis rationi repugnat dictio *te suspicor — quibus ego ipse.* Ut omnes, qui quidem pristinae libertati faverent, sic Atticus et Cicero turbis civilibus quam maxime movebantur.

Major] i. e. major, quam pro hoc libri instituto et majoris momenti: Nepos *in Themist.* I, 3. *nulla res major sine eo gerebatur.* Idem *in Attic.* IV, 4. *Si qua res major acta est, non defuit.*

2. *Occurrebas*] Id est, *in mentem veniebas mihi.* Cff. ipsa Ciceronis exempla, quae ab Ernesto in *Indice* notantur.

phia poterit, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. 3. Sed de ceteris et diximus multa, et saepe dicemus: hunc librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius; parum enim esset auctoritatis in fabula; sed M. Catoni seni, quo majorem auctoritatem haberet oratio: apud quem Laelium et Scipionem facimus ad-

Cui qui pareat] Qui vitam sapienter instituit et quasi ad singula philosophiae praecepta exigit, is sane poterit sine molestia senectutem ferre. *Tempus aetatis degere*, etiam Graeci dicunt χρόνον διάγειν.

3. *De ceteris*] Non sunt reliquae vitae aetates, nec juvenilis, nec virilis aetas, sed reliquae philosophiae partes, quas Latinis literis jam illustraverat Cicero, aut illustrare parabat. Nimirum antea jam ediderat libros Quaestionum Academicarum, de Finibus Bonorum et Malorum, Tusculanarum Disputationum et, Caesare jam interfecto, libros de Natura Deorum; post hunc de Senectute scripsit de Officiis ad Marcum filium, de Amicitia librum singularem, itemque de Fato et de Divinatione.

Ad te misimus] Quod vulgo *dedicare* appellatur a recentioribus, latine dicitur *scribere* vel *mittere librum ad aliquem* vel *inscribere librum alicui*.

Tithono] Tithonum Laomedontis, regis Trojani, vel filium vel fratrem, ob corporis pulchritudinem, rapuit Aurora et immortalitate donavit. Cujus in gratiam Dea neglexerat a Jove sempiternam petere juventutem. Cum igitur ad decrepitam senectutem pervenisset, vitaeque taedio, frustra mortem optasset, tandem miseratione Deorum in cicadam mutabatur. Hesiodus *Theog.* 984. Horatius *Carm.* I. 28, 8. II. 16, 30. Apollodorus III. 12. et Hygin. *Fab.* CCLXX.

Aristo Chius] Philosophus Stoicus, non confundendus cum Aristone Ceo, peripatetico. Scripsit librum *de Senectute*, qui inter ceteros Aristonis Chii libros non memoratur a Diogene Laërtio VII. 163. Complures fuere veterum philosophorum disputationes *de Senectute*, e quibus locos congessit Stobaeus, *Floril.* Tit. CXIV—CXVI. Fuit etiam liber de eodem argumento a Demetrio Phalereo conscriptus, quem laudat Diogenes Laërtius IX, 20.

Parum enim esset] Sic auctoritate quorumdam librorum Mss. edidit Orellius. Vulgo edebatur *ne parum esset*. Mox tamen majorem distinctionem post verba *haberet oratio* sustulimus, in eo ab Orellio dissentientes.

Laelium et Scipionem] Est hic C. Laelius, pater C. Laelii C. F. Sapientis, Cicero *Philipp.* XI. 7. Hic, rebus antea cum Scipione Africano majore gestis, consul fuit cum Scipione Asiatico, anno Urbis sexcentesimo decimo tertio, Eutrop. IV. 4; qui Asiaticus de Antiocho triumphavit, Plinius *Hist. Nat.* XXXIII. 11.

Grae-

admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Graecis literis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Jam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

II. 4. Scipio. Saepenumero admirari soleo cum hoc C. Laelio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, Marce Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod numquam senectutem tibi gravem esse senserim, quae plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere. Cato. Rem haud sane, Scipio et Laeli, difficilem admirari videmini. Quibus enim nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, iis omnis aetas gravis est: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas afferat. Quo in genere est in primis senectus,

Graecis Literis] After Cato Graecas literas contemserat, sed eas sexagenarius diligentius colere coepit. Vid. Cicero *Acad.* II. 2. » *Quum Graecas literas M. Catonem in senectute didicisse acceperim:*" ad quem locum plura notavit Jo. Davisius, *de Oratore* III. 33. tum etiam Quintilianus *Inst. Orat.* XII. 10 Plinius *Hist. Nat.* VII. 27.

II. 4. *Ut onus se Aetna gravius.*] Proverbialiter hoc dictum est, et repetitum ex Euripidis *Hercul. Furent.* 631.

Ἄ νεότας μοι φίλον, ἄχθος δὲ τὸ γῆρας αἰεὶ
Βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται.

Quibus enim nihil est in ipsis opis] Graeci in hac re dixissent, τοῖς μὴ αὐτάρκεσι πρὸς εὐδαιμονίαν: quam αὐτάρκειας vim uni virtuti tribuit Cicero *Paradox* II, Stoicorum doctrinam explicans.

Naturae necessitas] Graece φύσεως ἀνάγκη. Nimirum ἀνάγκη a physicis dicitur *lex naturae*; Xenoph. *Memor.* I. 1. 11. οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως, ἥπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι, διελέγετο σκοπῶν, ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔχει, καὶ τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίγνεται τῶν οὐρανίων. Quo sensu ἀνάγκη a Platone dicatur, explicat Plutarchus *de Animae procreat. e Timaeo* cap. VI. p. 1014. E. sq.

Quo in genere] Nempe his in

etus,

ctus, quam ut adipiscantur, omnes optant, eundem adepti. Tanta, est stultitiae inconstantia atque perversitas! Obrepere, ajunt, eam citius, quam putavissent. — Primum, quis coëgit eos falsum putare? Quid enim? citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? Deinde, qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? Praeterita enim aetas, quamvis longa, quum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. 5. Quocirca, si sapientiam meam admirari soletis — quae utinam digna esset opinione vestra nostroque cognomine! — in hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem tanquam Deum sequimur eique paremus; a qua, non veri simile est, quum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum tamquam ab inerti poëta esse neglectum. Sed tamen ne-

in rebus, quas naturae necessitas affert.

Quam ut adipiscantur] Proverbialis sententia Menecratis poëtae, ut videtur; Stobaeus *Sermon.* CCLXVIII. p. 867. γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ πᾶς εὔχεται· ἦν δὲ ποτ' ἔλθῃ μέμφεται.

Adepti] Sic Ernestus aliique ediderunt. Recedimus vero ab Orellio *adeptam* scribente. Variant enim libri in tali structura, ut Virgilius *Aeneid.* IV. 692. *ingemuitque reperta* ubi vidd. Burmannus et C. G. Heyne: Conff. Korte *ad Sallust. Bell. Catil.* cap. 7. pag. 49. et Arntzenius *ad Panegyr. Veter.* pag. 561.

Quid enim? citius] Alii *qui enim citius.*

Stultam] Ἄφρονα i. e. ejusmodi senectutem, in quo sapientiae studium vel philosophia negligitur.

5. *Tamquam Deum sequimur*] Ἕπεσθαι θεῷ *imitari deum.* In eo consistebat, communi omnium philosophorum sententia, summa hominum virtus; cujus sententiae originem et dictionis vim et progressum docte illustrat Wyttenbachius, Vir Cel. ad Plutarchum *de Sera Num. Vindict.* pag. 27.

Extremum actum] Vita hominis cum dramate scenico comparatur, cujus complures sunt actus, prouti ipsa natura nostram vitam in diversas aetates describit. Cicero *Paradox* III. 2. *Histrio si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur: in vita tu, quae omni gestu moderatior omni versu aptior esse debet, ut in syllaba te peccasse dices?* Similibus compa-

necesse fuit esse aliquid extremum et, tamquam in arborum bacis terraeque frugibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum, quod ferendum est molliter sapienti. Quid est enim aliud Gigantum modo bellare cum Diis, nisi naturae repugnare? — 6. LAELIUS. Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus — volumus quidem certe senes fieri, multo ante a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem aetatem ferre possimus. — CATO. Faciam vero, Laeli; praesertim si utrique vestrûm, ut dicis, gratum futurum est. — LAELIUS. Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tamquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre quale sit.

III.

parationibus utuntur Socrates, apud Stobaeum *Serm.* CXX. et Aristonymus apud eundem. *Serm.* CIV. Cf. infra ad XIX, 70.

Gigantum modo — bellare cum Diis.] Cicero *Tusc. Disp.* III. 5. » *Nam et necessitas ferendae conditionis humanae quasi* cum deo pugnare *prohibet.*" Namque metaphorice θεομαχεῖν dicitur is, qui nolit calamitates ferre a Deo sibi immissas: ut Euripidis *Iphig. in Aulid.* 1409.

Τὸ θεομαχεῖν γὰρ ἀπολιπὼν σ', ὅ σοὶ πρατεῖ,
ἐξελογίσω τὰ χρηστά, τἀναγκαῖά γε.

i. e. omittens enim reluctari adversus calamitates a Deo tibi immissas, qui Deus te potentior est, considerasti, quae utilia, certe quae necessaria sunt. Conf. Cl. Wyttenbachius *ad Plutarchum de Superstit.* p. 262, C.

6. *Ut etiam pro Scipione pollicear*] Similiter Cicero *de Republ.* I. 21. » *Ut etiam pro his dicam*" et *de Amicit.* c. 4. » *pergratum mihi feceris, speró item Scaevolae, si — disputaris.*

Tamquam longam viam aliquam] Ut in universum operae pretium est, intelligere a quibusnam doctrinae fontibus Cicero profecerit, sic et hoc loco cognoscantur verba Platonis *de Republ.* I. 2. p. 328. D. *Καὶ μήν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Κέφαλε, χαίρω γε διαλεγόμενος τοῖς σφόδρα πρεσβύταις. δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι παρ' αὐτῶν πυνθάνεσθαι ὥσπερ τινὰ ὁδὸν προεληλυθότων, ἣν καὶ ἡμᾶς ἴσως δεήσει πορεύεσθαι, ποία τίς, ἐστι, τραχεῖα καὶ χαλεπή, ἢ ῥᾳδία καὶ εὔπορος; καὶ δὴ καὶ σοῦ ἥδιστ' ἂν πυθοίμην ὅ τί σοι φαίνεται τοῦτο, ἐπειδὴ ἐνταῦθα ἤδη εἶ τῆς ἡλικίας, ὃ δὴ ἐπὶ γήρως οὐ-*

III. 7. CATO. Faciam, ut potero, Laeli. Saepe enim interfui querelis meorum aequalium — pares autem, vetere proverbio, cum paribus, facillime congregantur — quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant: tum, quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nul-

οὐδῷ φασιν εἶναι οἱ ποιηταί, πότερον χαλεπὸν τοῦ βίου, ἢ πῶς σύ αὐτὸ ἐξαγγέλλεις; Quem locum Ciceronis ad Platonem conferre potuerat Stallbaumius.

III. 7. *Saepe enim interfui querelis — coli soliti*] Ex uberrimo Platonis fonte hausit iterum Cicero, qui haec scribens sine dubio ante oculos habuit Platonem *de Republ.* I. 3. p. 329, A. πολλάκις γὰρ συνερχόμεθά τινες εἰς ταὐτὸ παραπλησίαν ἡλικίαν ἔχοντες, φιασώζοντες τὴν παλαιὰν παροιμίαν, οἱ οὖν πλεῖστοι ἡμῶν ὀλοφύρονται ξυνόντες, τὰς ἐν τῇ νεότητι ἡδονὰς ποθοῦντες καὶ ἀναμιμνησκόμενοι περί τε ἀφροδίσια καὶ περὶ πότους τε καὶ εὐωχίας καὶ ἄλλ' ἄττα, ἃ τῶν τοιούτων ἔχεται, καὶ ἀγανακτοῦσιν ὡς μεγάλων τινῶν ἀπεστερημένοι καὶ τότε μὲν εὖ ζῶντες, τὴν δὲ οὐδὲ ζῶντες, ἔνιοι δὲ καὶ τὰς τῶν οἰκείων προπηλακίσεις τοῦ γήρως ὀδύρονται, καὶ ἐπὶ τούτῳ δὴ τὸ γῆρας ὑμνοῦσιν ὅσων κακῶν αἴτιον, κτλ. In quibus ἃ τῶν τοιούτων ἔχεται valent; *quae his similia sunt* et vocem ὑμνεῖν, i. e. *perpetuo deplorare*, illustrat Ruhnkenius *ad Tim.* p. 263.

Vetere proverbio] Fortasse a Platone repetitum, qui saepius ejusdem proverbii auctoritate utitur, veluti *in Sympos.* p. 195. B. ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Conff. Platonis *Lysia* p. 214. A. et Aristaenetus I. 10. p. 22. Abr. ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει· ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ κατὰ θεῖον ἀεὶ προσπελάζει. Cicero, etsi Platonem imitaverit, illud proverbium loco alterius posuit, ad quod referenda sunt verba Platonis modo allata et a Cicerone expressa. Namque in iis παλαιὰ παροιμία non est hoc ipsum, quod laudavimus, sed aliud idque notissimum ἥλιξ ἥλικα τέρπει; de quo videatur Aristaenet. I. 18. p. 46. Abr. et quos laudat Heindorf *ad Platon. Phaedr.* p. 230 et M. A. Mureti Opp. T. III. p. 531 et 454. Ruhnk.

C. Salinator] C. Livius Salinator distinguendus ab alio, ejusdem nominis consule, qui cum collega App. Claudio Nerone, Hasdrubalem Hannibalis fratrem apud Senam, Piceni civitatem vicit, de nominibus ejus viri cff. Interpretes ad Livii Libr. XXV. 8. Perperam vero Cicero *de Orat.* II. 67 narrat, Salinatorem, Tarento amisso, arcem retinuisse, quod fecit Livius Macatus, Wesseling *Observ.* II. 5.

Voluptatibus carerent] Quid sit ipsum *carere*, explicat Cicero *Tusc. Disp.* I. 36. » *Carere igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in carendo: nisi quum sic tamquam in febri dicitur, alia quadam notione verbi.*" Ita *culpa caret* apud

nullam putarent; tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam, si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usu venirent reliquisque omnibus majoribus natu; quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela, qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent nec a suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in aetate. Moderati enim et nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem senectutem agunt: importunitas autem et inhumanitas omni aetati molesta est. 8. LAELIUS. Est, ut dicis, Cato; sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes et copias et dignitatem tuam tolerabiliorem senectutem videri; id autem non posse multis contingere. CATO. Est istuc quidem, Lae-

apud Ciceron. *Epist. ad Divers.* IV. 1. In iis vero dictionibus, *carere febri* et *carere culpa*, verbum neutrum esse videtur et significare *liberum esse* ab aliqua re.

Vitam nullam] I. e. vitam sine voluptatibus actam. Graeci dicunt *βίος ἀβίωτος vita, quae non vita est;* quae formae saepius occurrunt, veluti in his: *δῶρον ἄδωρον donum quod non donum est*, sed damnum: sic *πόλις ἄπολις, urbs, quae nomine civitatis indigna est.*

Sed omnium ejusmodi querelarum — molesta est] Iterum Cicero imitatus est Platonem *de Republ.* I. 2. p. 329, D. ἀλλὰ καὶ τούτων πέρι καὶ τῶν γε πρὸς τοὺς οἰκείους μία τις αἰτία ἐστίν, οὐ τὸ γῆρας, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ὁ τρόπος τῶν ἀνθρώπων. ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐστὶν ἐπίπονον· εἰ δὲ μή, καὶ γῆρας, ὦ Σώκρατες, καὶ νεότης χαλεπὴ τῷ τοιούτῳ ξυμβαίνει. Ceterum senectutis vitia explicat Horatius Epist. *ad Pison.* vs. 169.

Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator censorque minorum.

Senectutem agunt] Sic *Tusculan.* I. 45. *Vita acta*, et V. 2. *Unus dies actus:* quo sensu *agere* idem valet quod *transigere.*

8. *Est ut dicis — id autem non posse multis contingere.*] Platonis verba sunt ejusmodi, *de Republ.* I. 4. pag. 329. E. οἱ-

Laeli, aliquid; sed nequaquam in isto omnia. Ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in jurgio respondisse, quum ille dixisset, non eum sua, sed patriae gloria splendorem assecutum: *Nec hercule*, inquit, *si ego Seriphius essem, nobilis; nec tu, si Atheniensis esses, clarus unquam fuisses.* Quod eodem modo de senectute dici potest. Neque enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem: nec insipienti etiam in summa copia non gravis. 9. Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis artes exercitationesque virtutum; quae in omni aetate cultae, quum diu multumque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum, quia numquam deserunt, ne extremo quidem tempore aetatis, — quamquam id maximum est — verum etiam, quia

οἶμαί σου τοὺς πολλούς, ὅταν ταῦτα λέγῃς, οὐκ ἀποδέχεσθαι, ἀλλ' ἡγεῖσθαί σε ῥᾳδίως τὸ γῆρας φέρειν οὐ διὰ τὸν τρόπον, ἀλλὰ διὰ τὸ πολλὴν οὐσίαν κεκτῆσθαι· τοῖς γὰρ πλουσίοις πολλὰ παραμύθια φασιν εἶναι.

Nequaquam in isto omnia] Vulgo editur *nequaquam in isto sunt omnia.*

Ut Themistocles — in summa copia non gravis] Plato l. c. ἀλλὰ τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὃς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὐτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμοῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς Σεριφιος ὢν ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος Ἀθηναῖος. καὶ τοῖς δὴ μὴ πλουσίοις, χαλεπῶς δὲ τὸ γῆρας φέρουσιν εὖ ἔχει ὁ αὐτὸς λόγος, ὅτι οὔτ' ἂν ὁ ἐπιεικὴς πάνυ τι ῥᾳδίως γῆρας μετὰ πενίας ἐνέγκοι, οὔθ' ὁ μὴ ἐπιεικὴς πλουτήσας εὐκόλως ποτ' ἂν ἑαυτῷ γένοιτο. Idem illud Themistoclis dictum narrat Plutarchus *in Themistocle.* p. 121, B.

9. *Efferunt fructus*] *Efferre* dicitur de fructibus, qui nascuntur, Graece ἐκφέρειν; quod barbare dici solet *producere fructus.* Idem Cicero *de Officiis* I. 15. » *An imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt:*" ad quem locum Heusingerus laudat *Brut.* 4; et Plinii *Epist.* VIII. 20, 5. Latinos hanc dictionem a Graecis sumsisse, monuit Valckenar. *ad Nov. Test.* p. 502.

Quia numquam deserunt] Stoicorum nempe decretum est: qui unam virtutem habeat, eum omnes habere, et qui unam amiserit, omnes amittere. Cicero *Acad.* I. 10. » *Quumque illi* (superiores philosophi) *ea genera virtutum, quae supra dixi, sejungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat: nec virtutis usum, ut superiores, sed ip-*

quia conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.

IV. 10. Ego Q. Maximum, — eum qui Tarentum recepit — adolescens ita dilexi senem, ut aequalem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas, nec senectus mores mutaverat: quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen jam aetate provectum. Anno enim post consul primum fuerat, quam ego natus sum; cumque eo quartum consule adolescentulus miles ad Capuam profectus sum quintoque anno post ad Tarentum. Quaestor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego; quum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat ut adolescens, quum plane grandis esset: et Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua mollichat: de quo praeclare familiaris noster Ennius:

Unus

ipsum habitum per se esse praeclarum; nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur." Fuit cum illa Stoicorum doctrina consentiens Romanorum opinio, eum, qui semel vir bonus sit, numquam fieri malum, *Tusc. Disp.* II. 14.

IV. 10. *Q. Maximum*] Est Q. Fabius Maximus, Cunctator, de quo videas Livium Libr. XXI. sqq.

Comitate condita gravitas] I. e. Gravitas temperata comitate. Cicero *pro Muren.* 31. » *Quemquamne existimas Catone, proavo tuo, commodiorem, comiorem, moderatiorem fuisse ad omnem rationem humanitatis.*"

Quaestor deinde quadriennio post factus sum] Sic edidit Orellius auctoritate Edd. Basilienſis 1568. Lallemandianae, Wetzelianae et Schuetzianae. Et recte quidem haec Pighii conjectura, *Annal.* II. p. 219. recepta est, ut locus cum Livio et Plutarcho, aliisque consentiat historicis. Ante enim legebatur *Quaestor: deinde aedilis, quadriennio post factus sum praetor: quem*; e quibus Pighius, temporum rationibus fidens, recte ejecit voces *aedilis* et *praetor.*

Tuditano et Cethego] Nimirum anno urbis 191.

Legis Cinciae de donis et muneribus] M. Cincius Alimentus, tribunus plebis, hanc legem tulit. » *Fuit de donis et muneribus, ne quis ea ob causam orandam caperet*," Tacitus *Annal.* XI. 5: eaque lex *muneralis* dicta fuit a Plauto, quem laudat Festus *de Verb. Sign.* in voce *muneralis*; locum,

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Nón enim rumóres pónebat ánte salútem.
Ergo póstque magísque viri nunc glória claret.

11. Tarentum verò qua vigilantia, quo consilio recepit! quum quidem me audiente Salinatori, qui amisso oppido fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: *Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti: Certe*, inquit ridens: *nam, nisi tu amisisses, numquam recepissem.* Nec verò in armis praestantior, quam in toga; qui

eum, ex incerta fabula desumtum, sic restituit Scaligerus.

Nequemmeralam legem neque leoniam,
Rogatae fuerint nec ne, flocci aestimo."

Unus homo] Locus item a Cicerone affertur *de Officiis* I. 24. Cf. *Epist. ad Attic.* II. 19. Hesselius *Fragm.* refert ad *Annal.* XII. auctoritate Macrobii *Saturn.* VI. 1: quo loco numerum corruptum esse judicat interpres Ennii Lipsiensis p. 117, qui hos versus ad *Annal.* VIII. refert. Dici vix potest, quoties hos Ennii versiculos laudent scriptores et imitentur. E. g. Virgilius (de quo sane recte existimari nequit, nisi antiquorum poëtarum locis diligenter perspectis) ut alios sic et Ennium imitatur *Aeneid.* VI. 846.

. . . . Tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem."

Singulos poëtarum locos adscribere longum est: notasse vero sufficiat Ovidium *Fast.* II. 241. Silium Italicum *Punic.* VI. 638 sq. VII. 9. sq. et XVI. 672 sqq.

Non rumores ponebat ante salutem] I. e. Modo patriae prodesset, vulgi de se sermones negligebat. Livius XLIV. 22. » *Neque enim omnes tam firmi et constantis animi contra adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit: qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam secundâ famâ male rem gerere.*" Quos rumores in vulgus sparserant Minucius Rufus et Metilius tribunus plebis.

Postque magisque] Haec ita explicat A. Manutius: » non modo post obitum, sed magis etiam, quam cum viveret."

11. *Mea opera Q. Fabi.*] Responsionis artificium a Fabio datae sic laudat Cicero, *de Orat.* II. 67. » *Acutum etiam illud est, quum ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult; ut Salinatori Maximus, quum, Tarento amisso, arcem tamen Livius retinuisset, multaque ex ea proelia praeclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset,*

qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis, quoad potuit, restitit agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti; augurque quum esset, dicere ausus est: » *optimis auspiciis ea geri, quae pro rei publicae salute gererentur; quae contra rem publicam ferrentur, contra auspicia ferri.*" 12. Multa in eo viro praeclara cognovi; sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio: quam quum legimus, quem philosophum non contemnimus! Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo! Quae praecepta! Quanta notitia antiquitatis! Quae scientia juris augurii! Multae etiam, ut in homine Romano, litterae. Omnia memoria tenebat,

set, rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse; Quidni *inquit* meminerim? nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses." — Mox *certe* est particula concedendi *de Officiis* III. 29. » *certe, si nihil malum esset nisi dolere:*" ibique videatur Heusingerus.

C. Flaminio] C. Flaminius legem agrariam tulit, aliquot annis ante secundum Punicum bellum, Cf. Cicero *Acad.* II. 5, *in Bruto*, 14. et de *Invent.* II. 14. *Gallicum* agrum appellavere Romani, quoniam inde pulsi sunt Galli Senones.

12. *Mortem filii tulit.*] Aliae editiones habent *mortem M. filii tulit.* Sed e duobus Fabii Cunctatoris filiis nulli *Marci* fuit nomen; et ille, quem Cicero intelligit, est Q. Fabius Maximus, qui consul fuit cum Tib. Graccho. Recte igitur delevit Orellius literam *M.* Cf. Drakenb. *ad Livium.* XXX. 26.

In luce] I. e. in vita publica.

Juris Augurii] Scientiam rituum, quos Augures observabant, *jus augurium* appellari, satis probant Gellii verba. *Noct. Attic.* VI. 6. » *Adolescens ego Romae, tum quum etiam ad Grammaticos itarem, audivi Apollinarem Sulpicium — quem imprimis sectabar, quum de* jure augurio *quaereretur et mentio* praepetum avium *jacta esset — Erucio Claro praefecto urbi dicere: praepetes sibi videri esse alites, quas Homerus παναιπτέρυγας appellaverit.*

Ut in homine Romano] I. e. pro captu hominis Romani. Cicero *Tusc. Disp.* I. 8. » *Sed tu mihi videris Epicharmi acuti hominis nec insulsi*, ut Siculi, *sententiam sequi.*" Sic Nepos *in Epam.* 5. » *Meneclidam — satis exercitatum in dicendo*, ut Theba-

bat, non domestica solum, sed etiam externa bella. Cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem id, quod evenit, illo extincto fore, unde discerem, neminem.

V. 13. Quorsum igitur haec tam multa de Maximo? Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete et pure et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens est mortuus; qualem Isocratis, qui eum librum, qui *Panathenaicus* inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit vixitque quinquennium postea: cujus magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos, neque unquam in suo studio, atque opere cessavit. Qui, quum ex eo quaereretur, cur tamdiu vellet esse in vita? *nihil habeo*, inquit, *quod accusem senectutem.* 14. Praeclarum responsum et docto homine digbanum *scilicet:*" aliique passim.

V. 13. *Quorsum.*] Adverbia *quorsum* et *quorsus* (utrumque enim dicitur) frequentia sunt Ciceroni, cum e longiori disputatione ad ipsum disputationis exitum pervenit. Sic infra cap. 13. » *Quorsum igitur tam multa de voluptate.*"

Ut triumphos] Alii ediderunt *triumphosque.*

Panathenaicus] Isocrates hac oratione Athenienses laudat, utpote de omni Graecia optime meritos, Lacedaemoniis contra vituperatis. Cicero *Orat.* cap. 12. » *In Panathenaico autem Isocrates, ea,* (i. e. concinnitatem sententiarum et argutos, certos et circumscriptos verborum ambitus) *studiose consectatum fatetur. Non enim ad judiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat.*"

Accusem] Alii *incusem.* Sed nullam fere contendit Orellius auctoritatem esse ejus lectionis, quae interpolatoris elegantiae deberi Viro Doct. videtur, quum nec alibi sit *incusare* apud Ciceronem.

14. *Docto homine*] Doeti dicuntur etiam poëtae, ut Graecis σοφοί: siquidem a poëtarum antiquissimorum ingeniis quaevis sapientiae praecepta manabant. Hinc

dignum! Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt; quod non faciebat is, cujus modo mentionem feci, Ennius:

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post ejus mortem hi consules, T. Flamininus, et M' Acilius, facti sunt: ille autem Caepione, et Philippo iterum, consulibus, mortuus est, quum ego quidem, V et LX annos natus, legem Voconiam magna vo-

Hinc Ciceronis consuetudine philosophi *docti* appellantur. Contrarium vero philosophi erat *insipiens*, i. e. qui non esset philosophus. Vide *Annot.* ad II. 4. p. 6.

Sicut fortis equus] Antea Hesselius retulit hunc locum inter fragmenta ex incertis libris: sed editor Lipsiensis p. 178. ad *Annal.* XVIII. Comparatio ab equo desumta, auctorem habet Sophoclem *Electra* vs. 25. qui Orestem ad Paedagogum haec dicentem facit.

ὥςπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἂν ᾖ γέρων,
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν.
ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν· ὡςαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπει.

Hinc illa proverbialis locutio orta est, qua senes, qui, licet corporis viribus debilitati sint, juvenili tamen ingenii robore vigent, *Equi Sophoclei* appellantur, veluti apud Philostratum, *Vita Sophist.* II. 23. §. 4. p. 606. καὶ εἶδον ἄνδρα παραπλήσιον τῷ Σοφοκλείῳ ἵππῳ. νωθρὸς γὰρ ὑφ' ἡλικίας δακὼν, νεάζουσαν ὁρμὴν ἐν ταῖς σπουδαῖς ἀνεκτᾶτο. Ceterum Horatius *Epist.* I. 1. 8. eadem equi comparatione utitur:

Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.

Sic Parmenides se ipsum cum equo Ibyceo comparat, apud Platonem, *Parmen.* p. 137, A.

Hi consules] I. e. praesentes, qui nunc sunt Consules. Sic apud Ciceronem *Tusc. Disp.* I. 31. *hae res*, Graece ταῦτα, *vitam* significant. Nimirum pronomen *hic* ponitur de rebus praesentibus, quas videmus et quibuscum vivimus. Vidd. J. F. Gronovius *ad Livium* II. 40. Ruhnkenius *ad Vellej. Paterc.* I. 11. et *ad Terentii Andr.* II. 1, 33. et Cortius *ad Epist. ad Divers.* II. 5.

Legem Voconiam.] Q. Voco-

vooe, et bonis lateribus suasissem. Annos LXX natus. — tot enim vixit Ennius — ita ferebat duo, quae maxima putantur, onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur. — 15. Etenim, quum contemplor animo, quattuor reperio causas, cur senectus misera videatur: unam, quod avocet a rebus gerendis; alteram, quod corpus faciat infirmius; tertiam, quod privet omnibus fere voluptatibus; quartam, quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum quanta quamque sit justa unaquaeque, videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit. — Quibus? An iis, quae juventute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae, vel infirmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, socer optimi viri, filii mei? ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, quum rem publicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? 16. Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam, ut caecus esset: et tamen is, quum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foe-

conius Saxa, trib. pleb. anno urbis IↃLXXX. legem tulit testamentariam, qua sancitum erat, ut, qui post A. Postumium et Q. Fulvium censores census esset, ne heredem virginem neve mulierem faceret. Pluribus illustrat Cicero illam legem *in Verrem.* I. 42, 43. *pro Balbo* cap. 8. et *de Finib.* II. 17. et Jac. Perizonius *Dissert. de leg. Voconia.*

Bonis lateribus] Etsi in universum *latera* eae vires dicantur, quarum defectus in latere sentitur, veluti ab iis, qui aut currunt aut cantant, haec vox tamen propria est oratoribus, qui continua et clara voce verba indefessi faciunt. Cf. Ernesti *in Indice* voce *latus.*

VI. *L. Paulus.*] Nimirum L. Aemilius Paulus, Macedonicus, qui intra biduum totam sibi Macedoniam subjecit.

Auctoritate] Auctoritas de iis dicitur, quorum voluntati et consiliis libentur obedire solemus, vide infra cap. XVII. » *Non solum in sententia, sed etiam in nutu residebat auctoritas.*" Haud ita diversus est ejus usus de iis, qui aliquid se fecisse aut fieri jussisse profitentur. Ruhnkenius, *ad Terentii Eunuch.* II. 3, 98.

Quae

foedusque faciendum, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexêre viai?

ceteraque gravissime; notum enim vobis carmen est; et tamen ipsius Appii exstat oratio. Atque haec ille egit septem et decem annis post alterum consulatum, quum inter duos consulatus anni decem interfuissent censorque ante superiorem consulatum fuisset; ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patribus accepimus. 17. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt ut si qui gubernatorem in navigando nihil agere dicant, quum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant, ille [autem] cla-

Quo vobis mentes] Hesselius ad Lib. V. *Annal.* p. 59. et Editor Lipsiensis ad Lib. VI. p. 85. refert: hunc vero Ennii locum Plutarchus *in Pyrrho* Cap. XIX. p. 394. ita fere ad verbum Graece expressit. *Ποῦ γὰρ ὑμῶν ὁ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους θρυλλούμενος ἀεὶ λόγος.*

Appii exstat oratio] Sic Cicero *in Bruto* XVI. » *Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cujus quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. Et Hercules! Haec quidem exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam.*

Haec — annis] Alii *hanc — annos*. Quorum prius jam suaserat Ernesti. Mox alii *interfluxissent* pro *interfuissent*.

Gubernatorem] Simili comparatione utitur Plutarchus *de Republ. Gerend.* XV. p. 812, B. *Ἀλλ', ὡς οἱ κυβερνῆται τὰ μὲν ταῖς χερσὶ δι' αὑτῶν πράττουσι, τὰ δ' ὀργάνοις ἑτέροις δι' ἑτέρων ἄπωθεν καθήμενοι περιάγουσι καὶ στρέφουσι, χρῶνται δὲ καὶ ναύταις καὶ πρωρεῦσι καὶ κελευσταῖς, καὶ ταύτην ἔνιους ἀναπαλούμενοι πολλάκις εἰς πρύμναν ἐγχειρίζουσι τὸ πηδάλιον· οὕτω τῷ πολιτικῷ, προσήκει, παραχωρεῖν μὲν ἑτέροις ἄρχειν, κτλ.*

Foros] Viae in navibus, per quas nautae cursitant, *fori* dicuntur: sed aliam huic voculae vim tribuit Sosipater Lib. I, quem Hesselius laudat ad Ennii *fragm.* p. 133, dicentem *foros* esse in navibus ubi nau-

clavum tenens quietus sedeat in puppi. Non facit ea, quae juvenes: at vero multo majora et meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. 18. Nisi forte ego vobis, qui et miles et tribunus et legatus et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, quum bella non gero. At senatui, quae sint gerenda, praescribo, et quomodo: Karthagini male jam diu cogitanti, bellum mul-

tae sedentes navigent. Servius *ad Virgilii Aeneid.* VI. 412. illos *tabulata* appellat. Vulgo tamen in plurali numero *fori* dicuntur et rarius singulari numero *forus:* quod tamen occurrit apud Gellium *Noct. Attic.* XVI. 19, qui ex Herodoto. I. 24. Graecum ἐδώλια ita vertit; itemque apud Ennium singularis occurrit, quem versum Editor Lipsiensis p. 99. ad *Annal.* VII. refert, antea ab Hesselio. p. 138. inter fragmenta incerta editum.

Sentinam] Voces *sentina* et *nautea* aquam significant sordidam, quae in inferiorem navem per rimas lignorum extrinsecus penetrat.

Sententia] Ingenii acumen et alacritas *sententia* dicitur. Neque aliter haec vox interpretanda est apud Ciceronem *de Leg.* I. 22. » *hujus praecepti tanta sententia est.*" Minus recte, ut videtur, Ernesti *in Indice* sententiam hujus loci ita explicat, quasi sit *sensus praeclarus.* Auctoritas quid sit, docuimus supra ad Cap. VI. p. 16.

18. *Cessare nunc videor*] I. e. otiosus esse nunc videor. Cicero *de Offic.* III. 1. » *ut neque cessaret unquam.*"

Karthagini — ante denuntio] Haec Plinius *Hist. Nat.* XV. 18. » *Namque pernicialis odio Karthaginis flagrans* (Cato *sc.*) *nepotumque securitatis anxius, quum clamaret, omni senatu Karthaginem delendam, attulit quodam die in curiam praecocem ex ea provincia ficum; ostendensque Patribus:* Interrogo vos, *inquit*, quando hoc pomum demptum putetis ex arbore? *Quum inter omnes recentem esse constaret:* Atqui tertium, *inquit*, ante diem scitote decerptum Karthagine: tam prope a muris habemus hostem. *Statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Karthago deleta est.*" Karthago quam odiosa fuerit Catoni, patet etiam ex Cicerone *de Offic.* I. 23. Vellejo Paterculo I. 13. Floro, II. 15. Plutarcho *in Caton. Maj.* XXVII. p. 352, C. *Ἐκεῖνο δ' ἤδη καὶ βιαιότερον, τὸ περὶ παντὸς οὐ δήποτε πράγματος γνώμην ἀποφαινόμενον προεπιφωνεῖν εὐθύς.* » *Δοκεῖ δέ μοι καὶ Καρχηδόνα μὴ εἶναι*" i. e. *Praeterea Karthaginem delendam esse censeo.*

Avi

multo ante denuntio; de qua vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero. 19. Quam palmam utinam Dii immortales, Scipio, tibi reservent, ut avi reliquias persequare! cujus a morte tertius hic et tricesimus annus est: sed memoriam illius viri omnes excipient anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, quum consul iterum me consule creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suae poeniteret? nec enim excursione nec saltu nec eminus hastis aut comminus gladiis uteretur; sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. 20. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui am-

19. *Avi reliquias*] Bellum, quod avus nondum confectum reliquerat. Genitivus ille personae, qui reliquisse quid dicitur, est apud Virgilium *Aeneid.* I. 30. » *reliquiae Danaûm atque immitis Achilli*": et passim occurrit.

Excipient] Verbum *excipere* haud ita frequenter eo sensu occurrit, quo nunc dictum est; nimirum h. l. *continuare* valet. Exemplum praebet Silius Italicus *Punic.* XIII. 687.

Excipit inde suos frater conjungere casus

i. e. finita oratione, frater suos casus explicare *perrexit*, vel *coepit*. Catonis verba igitur haec sibi volunt: *anni consequentes* continuabunt *memoriam illius viri*; i. e. sequentibus annis hujus viri virtutem posteri laudabunt.

Me censorem] Nobilissimam Catonis censuram his verbis commemorat Livius. XXXIX. 41. » *Hunc* (Catonem), *sicut omni vita, tum petentem premebat nobilitas: coierantque* (*praeter L. Flaccum, qui collega in consulatu fuerat*) *candidati omnes ad dejiciendum honore eum: non solum ut ipsi potius adipiscerentur, nec quia indignabantur novum hominem censorem videre; sed etiam quod tristem censuram, periculosamque multorum famae, et ab laeso a plerisque, et laedendi cupido, exspectabant.*" Qui illos non fefellit metus: nam haec idem Livius l. c. cap. 42. » *Censores M. Porcius et L. Valerius, metu mixta exspectatione, senatum legerunt: septem movere senatu. Ex quibus unum insignem et nobilitate et honoribus, L. Quinctium Flamininum consulatem.*"

20. *Apud Lacedaemonios*] Cicero de *Republ.* II. 28. » Lycur-

amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere, aut audire voletis externa, maximas res publicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.

Codo, qui vestram rem publicam tantam amisistis tam cito?

Sic enim percontantur, ut est in Naevii Ludo: respondentur et alia et hoc in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.

VII. 21. At memoria minuitur. — Credo, nisi eam exerceas, aut si sis naturâ tardior. Themistocles omnium civium perceperat nomina: num igitur censetis eum, quum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt; sed eorum patres etiam et avos. Nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam per-

curgus γέροντας Lacedaemone appellavit, nimis is quidem paucos, XXVIII, quos penes summam consilii voluit esse, quum imperii summam rex teneret: ex quo nostri idem illud secuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt Senatum." Cf. Plutarchus *in Lycurgo* Cap. XXVI. p. 55, C. et Justinus. III. 3.

Ut est in Naevii Ludo] Festus eandem Naevii fabulam laudare videtur in voce *redhostiri*, ubi tamen „*Naevius in Lupo*" citatur. Monuit autem Scaligerus. ad h. l. verba ita esse emendanda: *Naevius in Ludo*,

VII. 21. *Themistocles*] Themistoclem magna fuisse memoria, saepius Cicero narrat, veluti *de Finib.* II. 32. et *de Orator.* II. 74 et 86. Simonides vero Ceus memoriae artem invenisse dicebatur, et ipse insigni memoriae vi praeditus esse *Tusc. Disp.* I. 24.

Nec; sepulcra legens] Memoriae noxium esse putabatur, si quis *titulos* vel *elogia* i. e. inscriptiones sepulcrorum perlegeret: quam opinionem ut hoc loco confutare studet Cicero, sic etiam *de Finib.* V. 1. ibique cf. Davisius. Eandem opinionem attigit etiam Erasmus *Adag.* I. 2, 52.

Va-

perdam: his enim ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quae curant, meminerunt; vadimonia constituta; qui sibi, cui ipsi debeant. 22. Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes? quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria: nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium quum rem negligere familiarem videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum, quasi desipientem, a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, *Oedipum Coloneum* recitasse judicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur? Quo recitato, sententiis judicum est liberatus. 23. Num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num, quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos

Vadimonia constituta] Proprie vadimonium erat, quum quis, datis vadibus, polliceretur, ad judices se venturum esse. Hinc, ut saepe alias, sic nunc etiam *vadimonium constitutum* est dies dictus, quo quis ad judices accedat.

Cui ipsi] Alii *quibus ipsi* ediderunt.

Sophocles] Plutarchus *An Seni gerenda sit Resp.* p. 785, A, eadem a Sophocle dicta et facta esse memorat.

Interdici] Vox, jurisconsultis frequentissima, proprie de praetoribus dicebatur, qui *interdictum* i. e. decretum dabant. Erant autem interdicta formae atque conceptiones verborum, quibus praetor aut jubebat aliquid fieri aut fieri prohibebat, quod tum maxime fiebat, quum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Justiniani *Instit.* IV. 15.

23. *Quem vos etiam vidistis Romae*] Significatur nobilis

vos etiam vidistis Romae, Diogenem Stoicum, coëgit in suis studiis obmutescere senectus? an in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit? 24. Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in aliis minus hoc mirum; nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere: sed iidem in eis elaborant, quae sciunt nihil ad se omnino pertinere.

Serit arbores, quae alteri seculo prosint,

ut ait Statius noster in Synephebis. 25. Nec vero dubi-

lis legatio Carneadis, Critolai et Diogenis Babylonii, quae ab Atheniensibus Romam missa est ad deprecandam mulctam quae Atheniensibus imposita erat propter Oropi urbis vastationem. Cff. Cicero. *Tusc. Disp.* IV. 3. Plutarchus *in Caton. Maj.* XXII. p. 349. D. Aelianus *Var. Hist.* III. 17. Macrobius *Saturn.* I. 5. Gellius *Noct. Attic.* VII. 14. Plinius *Hist Nat.* VII. 30. haec narrat: » *Cato Censorius in illa nobili trium sapientiae procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit dimittendos, quum, illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset.*" Ceterum Lyndenus in *Disp. de Panaet.* docte de hac legatione egit.

Studiorum agitatio] In hac dictione *agitatio* idem valet, quod *cultus*, sive *tractatio*. Sensus est: nonne omnes, quos memoravi, bonarum artium studia ad mortem usque diligenter excoluerunt?

24. *Quibus absentibus*] Ab urbe scilicet, i. e. rusticantibus. Qui vero in urbe est, *adesse* dicitur. Unum verbum eo sensu alteri opposuit Nepos. in *Attic.* III. 2. » *Quamdiu adfuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit, absens prohibere non potuit.*"

Non percipiendis, non condendis] Verba haec proprie de fructibus dicuntur, qui colliguntur demessi et horreis, servandi causâ, conduntur.

Quamquam in aliis] Alii ediderunt *quamquam in illis.*

Statius in Synephebis] Caecilius Statius, poëta comicus, ex aetate Ennii, quem malum latinitatis auctorem judicat Cicero *ad Attic.* VII. 3. » *secutusque sum, non Caecilium dico.* » Mane ut ex portu in Piraeeum" (*malus enim auctor Latinitatis est*) *sed Terentium*" cet. Hanc fabulam

Syne-

bitet agricola, quamvis senex, quaerenti, *cui serat*, respondere: *Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a majoribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.*

VIII. Melius Caecilius de sene alteri seculo prospiciente, quam illud idem:

Edepol, senectus, si nil quidquam aliud viti
Apportes tecum, quum advenis; unum id sat est,
Quod diu vivendo multa, quae non vult, videt.

Et multa fortasse, quae vult! atque in ea quidem, quae non vult, saepe etiam adolescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire, ea aetate esse se odiosum alteri.

26. Jucundum potius, quam odiosum! Ut enim adolescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leviorque fit eorum senectus, qui a juventu-

Synephebos de Graeco Menandri expressit. Versus etiam citat Cicero *Tusc. Disp.* I. 14. Ceterum versus ille Creticus esse videtur, etsi facile in jambum mutari poterit.

VIII. *Edepol*] Sunt versus Caecilii Statii e fabula *Plocio*. Cf. Nonius Marcellus p. 247. Easdem fere senectutis accusationes profert Terentius *Adelph.* V. 3. 47.

Solum unum hoc vitium senectus adfert hominibus:
Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est.

Idem Plautus *Menaechm.* V. 2, 4.

Nam pernicitas deserit: consitus sum
Senectute: onustum gero corpus; vires
Reliquere. Ut aetas mala, merx mala est tergo,
Nam res plurimas pessumas, cum advenit, affert:
Quas si autumem omneis, nimis longus sermo sit.

Cf. ejusdem Plauti *Mercat.* V. 1, 5. et Horatium, quem supra laudavimus ad Cap. III. §. 7.

Tum equidem] Versiculi sunt ex alia ejusdem Caecilii fabula *Ephaestione*. Nonius Marcellus *de propr. Serm.* in voce *senium* p. 1.

26.

tute coluntur et diliguntur: sic adolescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo, me vobis quam mihi vos esse jucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens; tale scilicet, quale cujusque studium in superiore vita fuit. Quid? qui etiam addiscunt aliquid? ut Solonem versibus gloriantem videmus, qui se quotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri: ut ego feci, qui Graecas litteras senex didici; quas quidem sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod quum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem etiam illud-

26. *Praeceptis*] Praecepta sunt, quae illud monstrant, quod verum est et rectum quodque honestum habetur, et ita differunt ab institutis, ut *instituta* animum et mores ad praecepta conformare dicantur. Vid. Heusingerus ad *Offic.* I. 1. 1.

26. *Quid? qui*] Alii ediderunt *Quid, quod.*

Ut Solonem versibus gloriantem videmus] Hunc Solonis versum, quem infra laudat Cicero cap. XIV. §. 50, servat Plutarchus *in Solone* p. 79. *Σοφίας μὲν γὰρ ἦν ὁμολογουμένως ἐραστής, ὃς γε καὶ πρεσβύτερος ὢν ἔλεγε*

Γηράσκειν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

quem versum etiam laudat Plutarchus in fine vitae Solonis, p. 96.

Senex didici] Videatur *Annot.* ad Cap. I. 3. p. 5.

Arripui] Discipuli, qui magna aviditate in literarum studia aut alias quasdam disciplinas incumbunt, *arripere* illa studia dicuntur. Cicero *pro L. Murena* cap. 30. » *Haec* (philosophiae praecepta) *homo ingeniosissimus M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus* arripuit: *neque disputandi causâ, ut magna pars, sed ita vivendi.*" Nepos *in Cat.* Cap. III. » *Quarum studium etsi senior* arripuerat." Praeterea *accipere* etiam discipulorum est, qui discunt. Nepos *in Attic.* I. 3. » *ut non solum celeriter* acciperet *quae tradebantur.* Cf. Korte *ad Plinii Epist.* p. 586.

Quibus me nunc exemplis uti videtis] Graecis nempe. Cicero, ut in ceteris, sic etiam in sermone Catonis, quem fingit, saepius Graecorum insistit vestigiis, quorum aut sententias illustriores exprimit aut exempla citat.

Socratem] Cicero h. l. et in *Epist.*

lud — discebant enim fidibus antiqui — sed in litteris certe elaboravi.

IX. 27. Nec nunc quidem vires desidero adolescentis — is enim erat locus alter de vitiis senectutis —; non plus, quam adolescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti et, quidquid agas, agere pro viribus. Quae enim vox potest esse contemptior, quam Milonis Crotoniatae? qui, quum jam senex esset, athletasque se exercentes in curriculo videret, adspexisse lacertos suos dicitur illacrymansque dixisse: *At hi quidem mortui jam sunt.* Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator! Neque enim ex te unquam es nobili-

Epist. ad Divers. IX. 22. ante oculos habuit hoc Socratis jam senescentis dictum, quod est apud Platonem *Euthydem.* p. 272. C. ἀλλ' ἐγὼ, ἐν μόνον φοβοῦμαι, μὴ αὖ ὄνειδος τοῦν ξένοιν περιάψω, ὡς περ Κόννῳ τῷ Μητροβίου τῷ κιθαριστῇ, ὃς ἐμὲ διδάσκει ἔτι καὶ νῦν κιθαρίζειν, κτλ. Simile quid de se ipso Socrates profitetur *in Menex.* p. 236, B. ad quem locum conferant tirones Doct. Virum G. Groen van Prinsterer, *Prosopogr. Plat.* p. 141.

Vellem equidem etiam aliud] Alii vulgo edunt *vellem equidem et illud.* Ernesti his verbis interpretatur: » Sc. quod Socratem fecisse dixi, ut fidibus canere didicissem."

Discebant enim fidibus antiqui] Graeci nimirum: Nepos *in Epamin.* Cap. I. 2. » *Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni. Quae omnia apud raecos et grata et laude digna ducuntur.*"

IX. 27. *Loci*] Loci dicuntur partes et argumenta partium ex aliqua disputatione. Sic Cicero *de Officiis* I. 6. » *Ex quatuor autem locis in quos honesti naturam vimque, divisimus.*" Cff. cap. 43. III. 2, §. 10, 11 et 13; Significatio vocis videtur Graecae originis esse, quod intelligitur ex iis, quae dicuntur *Topicor.* cap, 2: » Τόποι, loci *enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire*, locum *esse argumenti sedem.*"

Milonis Crotoniatae] Athleta nobilissimus, qui in Magna Graecia floruit: de quo videantur Plinius *Hist. Nat.* VII. 20. Pausanias VI. 14. Aul. Gellius *Noct. Attic.* XV. 16. et infra ad Cap. X. §. 33. p. 30.

Quam tu ipse] Pronomen *ipse* h. l. corpori opponitur aut corporis membro cuidam ex illa oppositione animi i. e. *mentis* significationem accipit. Sic et Graeci. Et de vi pronomi-

litatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil Sex. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus jura civibus praescribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. 28. Orator, metuo, ne languescat senectute; est enim munus ejus non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam, nescio quo pacto, in senectute: quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos. Sed tamen decorus est senis sermo quietus et remissus, facitque persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta

nis αὐτὸς diversâ apud poetas et philosophos, his *animum*, illis *corpus* αὐτὸν usurpantibus, monuit Wyttenbachius Vir Cel. *ad Platonis Phaedon.* p. 325. et *ad Select. Histor. Graec.* p. 455.

Ad extremum spiritum est provecta prudentia] I. e. prudentia in iis senibus usque ad extremum vitae spatium florere perrexit. *Prudentiae* vim saepius explicat Cicero: veluti *de Offic.* I, 43. » *prudentiam enim quam Graeci* φρόνησιν, *aliam quandam intelligimus* (namque locutus erat Cicero de Sapientia) *quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia.*" Conf. *de Nat. Deor.* III. 15. Erat autem *prudentia* una ex quatuor virtutis partibus. Vid. Wyttenbachius *ad Phaed.* p. 172.; quae virtutis divisio auctorem habuisse videtur Pythagoram aut Pythagoreos. Ex illorum doctrina propagari coepit per ceteras philosophorum disciplinas, Platonis scilicet, Aristotelis et Stoicorum, quos sequitur Cicero et alibi et *de Invent.* II. 63. » *Habet igitur* (virtus) *partes quatuor: prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est* rerum bonarum, *et malarum, neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. Intelligentia est, per quam ea perspicit, quae sunt. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit.*" Hae quatuor virtutes Graece dicuntur φρόνησις, δικαιοσύνη, ἀνδρεία et σωφροσύνη.

Sed laterum etiam et virium] Vide *Annot.* ad Cap. V. §. 14. p. 16.

28. *Sermo quietus et remissus*] Sermo remissus is est, qui foro non accommodatus est, qui sine asperitate, et vehementia in narrando plerumque aut docendo versatur: Cicero *pro Sextio* cap. 54. » *Facit enim, judices, vester in me animorum oculorumque conjectus, ut mihi jam licere putem remissiore uti genere dicendi.*"

Quam

ta et mitis oratio. Quam si ipse exsequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere et Laelio. Quid enim jucundius senectute stipata studiis juventutis? 29. An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, ut adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones et avi tui duo, L. Aemilius, et P. Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur: nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires, atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium, adolescentiae vitiis efficitur saepius quam senectutis: libidinosa enim et intemperans adolescentia effetum corpus tradit se-

Quam si ipse exsequi nequeas] Sic edidit Orellius auctoritate praestantissimorum Mss. Ceteri editores e correctione scripserunt: *Quod si ipse exsequi nequeas.* Suam igitur scripturam sic illustrat Orellius „sententia est: quod si ipse ejusmodi oratione sapientia tua consilia exsequi non queas *cet.* Nec video cur dicere non liceat *oratione exsequi.*" Haec Doctus ille Ciceronis interpres. Ad ipsam dictionem, de qua dubitetur, quod attinet, certe *sermonem exsequi* i. e. colloqui, est apud Plautum *in Trinum.* II. 2, 5.

> . . . . . *per pietatem*
> *nolo ego cum improbis te viris,*
> *Gnate mi, neque in via,*
> *neque in foro ullum sermonem exsequi.*

Mox alii edunt *Quid enim est. Docuit — instituat*] *Docere* modo de juvenibus dicitur, qui bonarum artium studiis excoluntur, modo de viris studio et aetate maturis. *Instituere* i. q. *erudire*, tironum proprium est, quos rudes adhuc magister excolit. Videatur Doct. Bergman *ad Wyttenbachii Vit. Ruhnken.* p. 458. et *in Addend.* p. 510.

Libidinosa enim] Alii ediderunt *libidinosa etenim.* Sed Orellius monuit *etenim* apud Ciceronem numquam postponi. Xenophon *Memor. Socr.* II. 1, 31. οἱ, νέοι μὲν ὄντες, τοῖς σώμασιν ἀδύνατοι εἰσί, πρεσβύτεροι δὲ γενόμενοι, ταῖς ψυχαῖς ἀνόητοι· ἀπόνως μὲν λιπαροὶ διὰ νεότητος φερόμενοι, ἐπιπόνως δὲ εὐχμηροὶ διὰ γήρως περῶντες· τοῖς μὲν πεπραγμένοις αἰσχυνόμενοι, τοῖς δὲ πραττομένοις βαρυνόμενοι· τὰ μὲν ἡδέα ἐν τῇ νεότητι διαδραμόντες, τὰ δὲ χαλεπὰ εἰς τὸ γῆρας ἀποθέμενοι. Apud Homerum *Odyss.* XIV. 214 Ulysses de pristino corporis vigore et pulchritudine coram Eumaeo gloriatur.

senectuti. 30. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, quum admodum senex esset, negat se unquam sensisse, senectutem suam imbecilliorem factam, quam adolescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer — qui quum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit — ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi de me ipso dicere: quamquam est id quidem senile aetatique nostrae conceditur.

X. 31. Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Tertiam enim jam aetatem hominum vivebat; nec erat ei verendum, ne vera praedicans de se nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, *ex ejus lingua melle*

30. *Xenophontem*] Infra Cap. XXII. 79. Cicero illam Cyri morientis orationem de Graeco expressit: sed non ita, ut fidus interpres verbum verbo reddiderit. Nam quae h. l. e Xenophonte promuntur insequentibus a Cicerone omissa sunt l. c. Graeca haec sunt. *Cyropaed.* VIII. 7, 6. σὺν τῷ χρόνῳ τε προϊόντι ἀεὶ συναύξανομένην ἐπιγιγνώσκειν ἐδόκουν καὶ τὴν ἐμὴν δύναμιν, ὥστε καὶ τοὐμὸν γῆρας οὐδεπώποτε ἠσθόμην τῆς ἐμῆς νεότητος ἀσθενέστερον γιγνόμενον, καὶ οὔτ' ἐπιχειρήσας, οὔτ' ἐπιθυμήσας οἶδα, ὅτου ἠτύχησα.

X. 31. *De virtutibus suis praedicat*] Veluti Homeri *Iliad.* I. 260. et XI. 667.

Tertiam — aetatem] Herodotus. II. 142. Γενεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν, ἑκατὸν ἔτεά ἐστι ad quem locum plures scriptores laudat Wesselingius. Alii vero alium annorum numerum cuivis hominum generationi tribuunt. In iis Muretus *Var. Lection.* X. cap. 8. Nestorem octogenario majorem esse judicat. Non dubium est, quin Latini poëtae, ornatus causâ, tantam Nestori tribuerint senectutem. Ovidius ex iis haec Nestorem dicentem facit. *Metam.* XII. 187.

. . . . . *Vixi*
Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas.

Nihil dicunt, qui causam non esse contendunt, cur Nestoris senectus tantopere celebretur, si nonaginta tantum annos vexisset. Conff. Interpretes ad *Panegyr. Veter.* Arntz. p. 408. A.

Ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio] Sic vertit

le dulcior fluebat oratio. Quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus; et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris; quod si acciderit, non dubitat, quin brevi sit Troja peritura. 32. Sed redeo ad me. Quartum annum ago et octogesimum: vellem equidem idem posse gloriari, quod Cyrus; sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico aut quaestor eodem bello aut consul in Hispania fuerim aut quadriennio post, quum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas M'. Acilio Glabrione consule: sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non Rostra, non amici, non clientes, non hospites

tit Cicero versum Homeri Iliad. I. 249.

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Dux ille Graeciae] Scilicet Agamemnon apud Homerum *Iliad.* II. 371. haec ait:

αἴ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,
τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν·
τῷ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος
χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε περθομένη τε.

32. *Quod Cyrus*] Vide quae modo ante notavimus ad Cap. IX. §. 30.

Tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas] Ernesti. » Quomodo vir consularis fuerit tribunus militaris. Imo legatus fuit, ut tradit Livius XXXVI. 17 et 18." Livii verba haec sunt. » *Consul postquam incessa superiora loca ab Aetolis vidit, M. Porcium Catonem et L. Valerium Flaccum*, consulares legatos, *cum binis millibus delectorum peditum, ad Castella Aetolorum, Flaccum in Rhodunliam et Tichiunta, Catonem in Callidromum mittit.*"

Rostra] Locus ille superior in foro Romano, e quo oratores ad populum dicebant, *rostra* dicebatur. Rostra erant cuspides aereae in proris navium longarum. Devictis igitur, anno 534, Antiatibus, ut est apud Livium VIII. 14. *naves partim in navalia Romae subductae, partim incensae, rostrisque earum subgestum, in foro exstructum, adornari placuit: rostraque id templum adpellatum.*" In quibus Livii verbis, *templum* est locus elatior ante rostra, ubi conciones habebantur. Cice-

tes. Nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, *mature fieri senem, si diu velis esse senex.* Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. — At minus habeo virium, quam vestrûm utervis! 33. Ne vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis: num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit et tantum, quantum potest, quisque nitatur; nae ille non magno desiderio tenebitur virium! Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, quum humeris sustineret bovem vivum; utrum igitur hîs corporis, an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; quum absit, ne requiras: nisi forte adolescentes pueritiam, paullum aetate progressi adolescentiam debent requirere. Cursus est certus aetatis et una via naturae eaque simplex, suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data; ut et infirmitas puerorum et ferocitas juvenum et gravitas jam constantis aetatis et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. 34. Audire te arbitror, Scipio, hospes tuus avitus, Masinissa quae faciat hodie nonaginta natus annos:

cero *in Vatin.* cap. 10. » *in rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco.*"

Itaque nemo — cui fuerim occupatus] I. e. itaque nemo colloqui mecum voluit, quem propter occupationes audire non potuerim. Scilicet *convenire aliquem* apud Ciceronem et alios scriptores idem significat quod colloqui cum aliquo.

33. *T. Pontii centurionis*] Fortasse est idem ille Pontius centurio, quem Scaevola memorat apud Lucilium, Satyrarum scriptorem, loco a Cicerone expresso *de Finib.* I, 3.

An Pythagorae] Nimirum Pythagorae philosophi prudentia ideo Milonis Crotoniatae viribus opponitur, quoniam Milo in nobilioribus Pythagoreis memoratur. Strabo *Geogr.* VI. p. 263. et Menagius ad Diogenem Laërtium VIII. *s.* 39. Cf. quae modo ante notavimus ad Cap. IX. §. 27. p. 25.

34. *Masinissa*] Quae de Masi-

nos: quum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; quum equo, ex equo non descendere; nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit; summam esse in eo corporis siccitatem: itaque omnia exsequi regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

XI. Non sunt in senectute vires. — Ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo, quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem, cogimur. 35. At ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii aut omnino vitae munus exsequi possint. — At id quidem non proprium senectutis vitium est, sed commune va-

le-

sinissae senectute dicuntur, petita esse videntur e Polybii *Excerptis* p. 133. Ern., quem locum ante oculos habuit Plutarchus *An seni resp. gerend.* p. 791, E, qui Catonis et Masinissae mentionem conjungit.

Corporis siccitatem] Recte Ernesti *in Indice* ait; » *siccitatem* et *siccum* de sano corpore dici, in quo nihil vitiosi humoris inest." Quapropter sine dubio rejiciendum est, quod Dukerus *ad Livium Epit.* L, corrigere volebat, *firmitatem*. Quod ideo monemus, ne tirones temere hanc emendationem arripiant.

XI. *Legibus et institutis — sustineri*] Munerum vacatio senectuti legibus erat concessa, Livius XLII. 33. ait: » *nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiae esse.*" Cff. Interpretes ad Nepotis *Attic.* cap. VII. Vacationes autem sunt excusationes a muneribus militaribus aut civilibus. *Instituta* et *leges* ita distinguuntur, ut illa non scripta, hae scriptae sint. Romae *institutorum* i. e. consuetudinis auctoritas magna erat.

Non modo — sed ne — quidem] Particulae *non modo*, cum sequitur *ne quidem*, Ciceronis aliorumque scriptorum consuetudine ponitur pro *non modo non*. Cicero *Epist. ad Divers.* IX. 17. » *Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit.*" Idem *de Offic.* III. 19. » *Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat praedicare.* De hoc particularum usu cf. Vechneri *Hellenolex.* I. 2, 5. pag. 143.

35.

letudinis! Quam fuit imbecillus Publii Africani filius is, qui te adoptavit! Quam tenui aut nulla potius valetudine! Quod ni ita fuisset, alterum illud exstitisset lumen civitatis; ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, quum id ne adolescentes quidem effugere possint? Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est, ejusque vitia diligentiâ compensandâ sunt; pugnandum, tamquam contra morbum, sic contra senectutem. 36. Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subveniendum est, sed menti atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitatione ingravescunt; animi autem [se] exercendo levantur. Nam, quos ait Caecilius — *comicos stultos senes:* hos significat credulos, obliviosos, dissolutos; quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adolescentium, quam senum; nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum levium est, non omnium. 37. Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clien-

35. *Publii Africani filius is, qui te adoptavit*] Cato alloquitur Scipionem Africanum Minorem quem, patre Aemilio Paullo natum, P. Scipio, Africani Majoris filius, adoptavit.

Alterum illud] Alii *alterum ille.*

Exercitatione ingravescunt] Alii ediderunt *defatigatione et exercitatione.*

36. *Se exercendo*] Alii legunt et ediderunt *exercitando.*

Comicos stultos senes] Sunt verba Caecilii Statii, quae plenius citantur Ciceroni *de Amicit.* XXVI. » *Quod ne accidat, cavendum est, ut in Epiclero:*

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris atque emunxeris lautissime."

37.

clientelas Appius regebat et caecus et senex: intentum enim animum tanquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo mos patrius et disciplina. 38. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini mancipata est, si usque ad ultimum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid, sic senem, in quo est aliquid adolescentis, probo; quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit. Septimus mihi Originum

37. *Appius*] Nimirum App. Claudius Crassus, propter oculorum defectum, Caecus postea appellatus. Cf. Cicero *Tuscul. Disp.* V. 38. » *Appium quidem veterem illum, qui caecus annos multos fuit, et ex magistratibus et ex rebus gestis intelligimus, in illo suo vasu nec privato nec publico muneri defuisse.*" Notum est *domum* saepius pro *familia* vel pro *gente* dici. Corn. Nepos *in Eumen.* cap. 6. §. 3. et *in Themist.* Cap. 9. §. 2.

Nemini mancipata] Orellius hanc scripturam, praeter auctoritatem Codd. Msstorum, e Gajo confirmat atque exemplo Tertull. *Apolog.* 21. » *si eidem Deo manciparemur.*" Est vero *mancipare* rem quamdam tradere, et *mancipium* rei alicujus traditio. Cf. Heusingerus ad *Offic.* III. 16, 9. Sed aliae editiones habent *nemini emancipata*, cujus scripturae interpretatio Ernestiana non omittenda est. » *Emancipare*," ait vir Doctus, » *parentes dicuntur liberos, cum eos e patria potestate emittunt.* — *Hinc* emancipari alicui *eleganter dicitur, quod est alteri in potestatem traditum, addictum, nostraque voluntate obnoxium.*" — Neque Ernesto neque Gronovio *ad Senec. Epist.* 45. altera lectio *mancipata* ignota erat.

Ultimum spiritum] Alii *extremum spiritum.*

Septimus — Originum liber] Saepius Catonis *Origines* a Cicerone laudantur, veluti *Bruto* Cap. XVII et XIX. *Tusc. Disp.* I. 2. et IV. 2. Septem illis *Originum* libris complexus erat Cato historiam Romanam et civitatium Italicarum ortus et incrementa. Conf. praesertim Vossius *de Histor. Lat.* I. 5. p. 19. Nepos. *in Caton.* Cap. III. » *Primus continet res gestas regum populi Romani. Secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum primum; in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reli-*

num liber est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum illustrium, quascunque defendi, nunc quum maxime conficio orationes; jus augurium, pontificium, civile tracto: multum etiam Graecis litteris utor Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratiâ, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii; haec curricula mentis; in his desudans atque elaborans corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis; venio in senatum frequens ultroque affero res multum et diu cogitatas, easque tueor animi, non corporis, viribus. Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipsa cogitantem, quae jam agere non possem: sed, ut possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit; nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

XII. 39. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O praeclarum munus ae-

liquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos.

Est in manibus] Non eo sensu dictum est, quo supra Cap. IV. §. 12. *est in manibus laudatio*, i. e. laudatio, quae nobis nota est, aut, quam nos legere possumus. Nimirum h. l. *in manibus esse* notat idem, quod *in manibus habere* apud Ciceronem *Epist.* ad *Attic.* XIII, 47. i. e. elaborare, in eo tractando versari.

Pythagoreorum more] Carmina, quae χρυσᾶ ἔπη appellantur et Pythagorae nomine feruntur, vespertinam illam commemorationem praescribunt. Stobaei *Floril. Tit.* III.

μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα
δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλῆσσεο· χρηστὰ δὲ, τέρπου.

Cf. Jamblichus *Vita Pythag.* Cap. XXIX et XXXV. et Diogenes Laërtius VIII. *s.* 22.

Adsum amicis] I. e. consilio et auctoritate amicos adjuvo

XII

aetatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis, et praeclari viri, quae mihi tradita est, quum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. » Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam, cujus voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. 40. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret; stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium nullis excitari aliis illecebris, nisi voluptatis. Quumque homini sive natura sive quis Deus nihil mente praestabilius

XII. 38. *Archytae Tarentini*] Archytas magnus vir fuit, ut in philosophia, sic in republica gerenda. Aliis alia commemorantibus, satis tamen constat, eum floruisse, quum Dionysius Syracusarum tyrannidem teneret, eumque Platonis amicum et magistrum fuisse. Hunc naufragio periisse nemo praeter Horatium *Carm.* Lib. I. 28. prodidit, in quo quidem vel poeticam fingendi licentiam vel obscuram quamdam famam secutus videtur; praecipue cum vestigia Graeci cujusdam carminis in illo Horatii ubique expressa esse animadvertantur.

Nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem cet] Saepius voluptatem hominibus perniciosam esse explicatur, veluti *de Officiis* I. 30, 3. Juventuti aliquid in voluptate concedendum esse, contendit in oratione pro *Coelio* Cap. 18. §. 42. Gravius tamen voluptatis studia improbantur a Torquato *de Finib.* I. 13, quae verba ducta sunt e Platonis *Phaedone* p. 66, C. ad quem locum conf. Wyttenbachius p. 158.

39. *Hinc patriae proditiones*] Xenophon *Memor.* I. 5. §. 1. *Εἰ πολέμου ἡμῖν γενομένου, βουλοίμεθα ἐλέσθαι ἄνδρα, ὑφ' οὗ μάλιστ' ἂν αὐτοὶ μὲν σωζοίμεθα, τοὺς δὲ πολεμίους χειροίμεθα, ἆρ', ὅντιν' ἂν αἰσθανοίμεθα ἥττω γαστρὸς ἢ οἴνου ἢ ἀφροδισίων ἢ πόνου ἢ ὕπνου, τοῦτον ἂν αἱροίμεθα; καὶ πῶς ἂν οἰηθείημεν τὸν τοιοῦτον ἢ ἡμᾶς σῶσαι ἢ τοὺς πολεμίους κρατῆσαι;*

40. *Clandestina colloquia nasci*] Haec propterea ab Archyta Tarentino dicta esse videntur, quod Fabius in Tarenti obsidione tali clandestino cum hoste consilio usus erat, quo facile urbem cepit; Livius XXVII. 15. et Polyaenus *Strateg.* VIII. 14.

hus dedisset; huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. 41. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse; neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset, fingere animo jubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: siquidem ea, quum major esset atque longior, omne animi lumen exstingueret." Haec cum C. Pontio Samnite, patre ejus, a quo, Caudino praelio Sp. Postumius, T. Veturius, consules, superati sunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se a majoribus natu accepisse dicebat, quum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis: quem Tarentum venisse, L. Camillo, Appio Claudio consulibus reperio. 42. Quorsus haec? Ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae effecerit, ut id non

41. *C. Pontio Samnite*] Hanc Romanorum cladem narrat Livius. IX. 1—13.

Nearchus Tarentinus] Plutarchus *in Caton. Major.* Cap. II. p. 337, B. *Φαβίου δὲ Μαξίμου τὴν Ταραντίνων πόλιν ἑλόντος, ἔτυχε μὲν ὁ Κάτων στρατευόμενος ὑπ' αὐτῷ κομιδῇ μειράκιον ὤν. Νεάρχῳ δέ τινι τῶν Πυθαγορικῶν ξένῳ χρησάμενος, ἐσπούδασε τῶν λόγων μεταλαβεῖν. Ἀκούσας δὲ ταῦτα διαλεγομένου τοῦ ἀνδρός, οἷς κέχρηται καὶ Πλάτων, τὴν μὲν ἡδονὴν ἀποκαλῶν μέγιστον κακοῦ δέλεαρ*, (vide quae notabimus infra ad Cap. XIII. §. 44, p. 38.) *συμφορὰν δὲ τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα πρώτην, λύσιν δὲ καὶ καθαρμόν, οἷς μάλιστα χωρίζει καὶ ἀφίστησιν αὐτὴν τῶν περὶ τὸ σῶμα παθημάτων λογισμοῖς, ἔτι μᾶλλον ἠγάπησε τὸ λιτὸν καὶ τὴν ἐγκράτειαν.*

42. *Quorsus*] Vide quae notavimus supra ad Cap. V. §. 13. p. 14.

Aspernari] I. e. aversari, ut *asperum* vitare et fugere. Verbum illud non a *spernere* oriri videtur, sed ab adjectivo *asper*.

Ac

non liberet; quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas; rationi inimica est ac mentis, ut ita dicam, praestringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus feci, ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e senatu ejicerem, septem annis post, quam consul fuisset: sed notandam putavi libidinem. Ille enim quum esset consul, in Gallia exoratus in convivio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito, fratre suo, censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est: mihi vero, et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quae cum probro privato conjungeret imperii dedecus.

XIII. 43. Saepe audivi a majoribus natu — qui se porro pueros a senibus audisse dicebant — mirari solitum C. Fabricium, quod, quum apud Pyrrhum regem legatus esset, audisset a Thessalo Cinea, esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur; eumque dicere, om-

Ac mentis praestringit oculos] Eandem dictionem figuratam τὸ ψυχῆς ὄμμα, adhibuit Plato *de Republ.* Lib. VII. p. 533, C. et *Timaeo* p. 47. B. Conferantur quae notavimus ad Theonem Smyrnaeum p. 93 sq. Neque dubito, quin suo more e Platone illam dictionem expresserit Cicero, qui saepe in suos usus confert, quae eleganter a scriptoribus Graecis dicta sunt.

L. Flamininum] Fuit proconsul Galliae et frater T. Flaminini, ad quem Ennius scripsit versiculos, qui initio hujus Libri Cap. I. citantur. Ejus flagitium narrant etiam Livius XXXIX. 42. Valerius Maximus II. 9, 3. Plutarchus *in Flaminino* p. 379. et *in Caton. Major.* p. 564.

XIII. 43. *Thessalo Cinea*] Hic in praecipuis Pyrrhi amicis memoratur.

Qui se sapientem profiteretur] Significatur Epicurus philosophus, qui, plerisque aliud *summum bonum* statuentibus, illud, quod summum vel ultimum vel extremum bonum appellaretur unâ voluptate effici contendit. Graeci τέλος illud summum appellant, vid. *de Finib.* I. 12. Sed Epicurus Ciceroni neutiquam suas rationes probare potuit, quippe qui studiose contra eum disputare solebat. Ceterum idem Fabricii dictum laudatur etiam

omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes, M'. Curium et T. Coruncanium optare solitos, ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, quum se voluptatibus dedidissent. Vixerat M'. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro re publica quarto consulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui quum ex sua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto judicabant, esse profecto aliquid natura pulchrum atque praeclarum, quod sua sponte peteretur, quodque, spreta et contemta voluptate, optimus quisque sequeretur. 44. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magno opere desiderat. — At caret epulis extructisque mensis et frequentibus poculis. — Caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam ejus blanditiis non facile obsistimus — divine enim Plato escam malorum appellat voluptatem, quod eâ videlicet homines

etiam a Valerio Maximo, IV. 3, 7. et a Plutarcho *in Pyrrho* p. 395, E.

P. Decio] Cicero *Tusc. Disp.* I. 37. » *Non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos, se hostium telis objecissent.*" Item memorantur de *Finib.* II. 19. Nimirum nepos Decius equo concitato in hostes irruens cecidit.

44. *Magno opere*] Alii *magnopere* scribunt. Mox in aliis editionibus legitur *Caret epulis.*

Exstructisque mensis] Sunt mensae lautius cibo et dapibus oneratae. Cicero *Tusc. Disp.* V. 21. » *mensae conquisitissimis epulis exstruebantur.*" Apud Plautum *Menaechm.* I, 1, 25, Parasitus haec ait:

Cerealeis coenas dat, ita mensas exstruit,
Tantas struices concinnat patinarias:
Standum est in lecto, si quid de summo petas.

ibique videantur interpretes.

Cruditate] Est vitium stomachi, quum cibus male concoquitur et tanquam crudus coacescit.

Escam malorum] Plato *Timaeo* p. 69, D. τὴν ἡδονήν, μέγιστον κακῶν δέλεαρ appellat:

nes

nes capiantur, ut hamo pisces — quamquam immoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis potest delectari. C. Duilium, M. F., qui Poenos classe primus devicerat, redeuntem a coena senem saepe videbam puer; delectabatur crebro funali et tibicine, quae sibi nullo exemplo privatus sumserat: tantum licentiae dabat gloria! 45. Sed quid ego alios? ad me ipsum jam revertar. Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt, sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice, sed erat quidam fervor aetatis: qua progrediente, omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri accubitio-

lat. Platonis locum attigit Plutarchus *de sera Num. vindict.* p. 37, ibique Wyttenbachius p. 52. et ad *Moral.* p. 141.

Ut hamo pisces] Proverbialis locutio a piscibus ducta, qui cum esca simul hamum deglutiunt, quam locutionem egregie illustrat T. Hemsterhusius *ad Luciani Dialog. Mortuor.* VIII. p. 359. et Wyttenbachius l. c.

Primus devicerat] Accidit haec pugna navalis anno 260, i. e. post Romam conditam 493, L. Valerio Flacco et T. Otacilio Crasso consulibus.

Crebro funali] Funale est candelabrum, in quo funis cerâ vel pice imbutus incenditur. Hinc *crebrum funale* est ejusmodi candelabrum, quod complures funes ardentes sive faces habet. Aliis, veluti Epitomatore Livii, Floro II. 31, Aurelio Victore XXXIX, et Silio Italico VI. 667, eandem rem memorantibus, verba Valerii Maximi dubitationem afferunt, de fide lectionis *crebro funali*, pro qua alii *cereo funali* legunt. Nimirum verba Valerii Maximi III. 6; 4. haec sunt: „*C. autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Poenis retulit, quotiescumque epulaturus erat, ad* funalem cereum *praeeunte tibicine et fidicine, a coena domum reverti solitus est, insignem bellicae rei successum nocturna celebratione testando.*" Utrumque tamen dictum fuisse videtur, ita ut a Msstis recedere non opus sit. — Antiqua fuit apud Romanos consuetudo, ut viri bene de re publica meriti magna pompa domum a coena redirent. Vid. Is. Casaubonus *ad Suetonium in Caes.* 37.

Sodalitates] Splendidiores epulae sodalitates dicebantur, et

tionem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt; melius, quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant; ut, quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.

XIV. 46. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, nec cum aequalibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant — ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cujus est etiam fortasse quidam naturalis motus — non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant a majoribus instituta; et is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis; et pocula, sicut

et saepius in honorem alicujus Dei constituebantur.

Melius quam Graeci] Romanos omnia fecisse meliora, quam Graecos, aut invenisse sapientius, contendit Cicero *Tusc. Disp.* I. 1: quod Ciceronis judicium amantius erga patriam quam verius est. — *Compotatio* Graece συμπόσιον et *concoenatio* σύνδειπνον appellatur. Sequentia iniquius in Graecos mihi dicta esse videntur. Socrates enim apud Xenophontem *Memorab.* III. 14, 7. ait verbum εὐωχεῖσθαι Attica lingua *edere* significare et εὖ, *bene*, additum esse huic verbo, quod ea comedi tantum solebant, quae nec animum nec corpus laederent. Praeterea Graeci nec merum bibere solebant, Homerus *Odyss.* IX. 9. I. 110.

In eo genere] *Genus* saepe a Cicerone usurpatur, cum de hominibus, tum de rebus. Sic hoc loco *coena* vel *convivium* significatur: in quo convivio compotatio et concoenatio minoris pretii esse dicuntur, quam convivarum sermones jocus et sales.

XIV. 46. *Tempestivis — conviviis*] Tempestiva convivia dicuntur, quae ineuntur ante tempus solitum: qualia saepe usurpari solita erant diebus laetis et festis. Copiose hanc rem illustrat Just. Lipsius *Excurs. A. ad Taciti Annal.* XIV. 2. p. 334.

Motus] Alii ediderunt *modus*.

Magisteria] *Magisterium* erat munus ejus, qui praefectus erat convivii et a convivis eligebatur.

Cui in symposio Xenophontis est, minuta, atque rorantia; et refrigeratio aestate, et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quae quidem etiam in Sabinis persequi soleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo; quod ad multam noctem quam maxime possumus, vario sermone producimus. — 47. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. — Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, quum ex eo quidam jam affecto aetate, quaereret, utereturne rebus venereis: *Dii meliora!* inquit.

lus. Graece συμποσίαρχος, qui summo loco accumbebat et aliquem sermonem habere debebat, quem deinceps reliqui convivae ordine sequebantur dicendo: velut in Platonis symposio singuli convivae *de amore* dicunt.

A summo] Ernesti » Qui primo loco accumbit."

In symposio Xenophontis] Xenophontis *Convivio* Cap. II. §. 26. haec dicuntur, ἦν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι φυκνὰ ἐπιψεκάζωσιν — οὕτως αὖ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ' ἀναπειθόμενοι, πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα.

Minuta atque rorantia] I. e. pocula minora, quibus convivae vinum parcius bibunt et veluti guttis hauriunt.

In Sabinis] Nimirum Cato in agro Sabino habebat villam, in qua cum vicinis suis frequenter coenabat. Plutarchus *in Caton. Maj.* Cap. XXV. p. 351, E.

Conviviumque vicinorum quotidie compleo] Ernesti » vicinos invito ad convivium tot, ut triclinium plenum fiat." *Triclinium* vero erat lectulus, in quo tres convivae accumbere poterant. De numero convivarum agit Varro apud Aulum Gellium *Noct. Attic.* XIII. 11, qui numerus antiquissimo tempore haud ita magnus fuisse videtur, et fortasse tribus non major erat.

47. *Affecto aetate*] I. e. Sophocle vitae diuturnitate debilitato. Namque *affectum* dicitur illud quod *afflictum* et *debilitatum* est. Ceterum auctor hujus mentionis esse videtur Plato *de Republ.* I. p. 329, C. Πῶς, ἔφη, ὦ Σοφόκλεις ἔχεις πρὸς τάφροδίσια; ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ συγγίγνεσθαι; Καὶ ὅς, Εὐφήμει, ἔφη, ὦ ἄνθρωπε· ἀσμενέστατα μέντοι (Cicero vertit *vero*) αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών. Quem Platonis locum expresserunt, aliis omissis, Plutarchus *de Cupidit. Divit.* p. 525, A. tum in libro *An seni Gerend. sit Resp.* p. 788, E. et *Ne suaviter quidem vivi secundum Epicurum.* p. 1094, E. Philostratus *in vita Apollon.* I. 13. p. 16. Olearii.

Dii meliora] Scilicet ferant, dent.

quit. *Libenter vero istinc sicut a domino agresti, ad furioso profugi.* Cupidis enim rerum talium odiosum fortasse et molestum est carere; satiatis vero et expletis jucundius est carere quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat: ego non desiderare dico esse jucundius. 48. Quod si istis ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius, primum parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam, qui in ultima: sic adolescentia voluptates prope intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas spectans tantum, quantum sat est. 49. At illa quanti sunt, animum, tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentio-

Sicut a domino agresti] Cicero *de Officiis* II, 10, 11. » *Nam et voluptates blandissimae dominae, majores partes animae a virtute detorquent.* Sic terror et metus gravissimi domini a Cicerone appellantur, *Tusc. Disp.* I. 21. Frequentissima est apud antiquos comparatio voluptatis cum dominatione, veluti apud Xenophontem *Oecon.* Cap. I. §. 20. Plutarchus *De recte audiendo.* p. 37, C. Sic quisque amore captus κατακεδουλωμένος appellatur a Platone *Convivio* p. 219, C. Plura veterum testimonia adscribere nolumus, quae sane parum utilitatis afferrent.

Quamquam is non caret qui desiderat] Vide supra ad Cap. III. §. 7. p. 8.

Ego non desiderare dico esse jucundius] Vulgo editur, *ergo hoc non desiderare, dico esse jucundius quam frui.*

48. *Turpione Ambivio*] Fuit nobilis actor comoediarum tempore Terentii, in cujus *didascaliis* i. e. antiquis comoediarum titulis, frequens memoratur, *Adelphis* exceptis, ibique appellatur L. Ambivius Turpio. Cf. Just. Lipsius *ad* librum *de caus. corrupt. eloquent.* p. 480. qui Taciti nomine fertur.

Cavea] Locus est, ubi spectatores ludorum sedent.

Prope intuens] Sic vulgo editur. Orellius ex suis copiis edidit *propter intuens.* Noluimus hanc Orellii scripturam sequi, quoniam *prope* oppositum esse videtur sequenti *procul.*

Procul eas spectans] I. e. e longinquo, Graeci πρόσωθεν. Euripides Hippolyt. 201.

Πρόσωθεν αὐτὴν (Venerem)
ἁγνὸς ὢν δοκάζομαι.

Emeritis stipendiis] Dictio ele-

tionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, secum esse secumque, ut dicitur, vivere! Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. Mori paene videbamus in studio dimetiendi coeli atque terrae C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio! Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, quum mane coepisset! Quam delectabat eum, defectiones solis et lunae multo nobis ante praedicere! 50. Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius! quam Truculento Plautus! quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium: qui, quum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulam docuisset, Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adolescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar? aut de hu-

eleganter translata a re militari, cf. Seneca *Epist.* XCIII.

C. Gallum] Est Cajus Sulpicius Gallus, qui consul cum M. Marcello primus lunae et solis defectum Romae praedixit, cff. Plinius *Hist. Nat.* II. 12. et Valerius Maximus VIII. 11, 1.

Describere] Recte Ernesti »de rebus Astronomicis sermo est: pertinet itaque *describere* ad res coelestes earumque figuras, *zeichnen.*" Nimirum *describere* et *descriptiones*, Graecis διαγράφειν et διαγράμματα, de figuris, quas vocant, mathematicis et astronomicis dicuntur. Videantur quae notavimus ad Theonem Smyrnaeum. *de Arithm.* p. 133 sq.

50. *Senem Livium*] Est Livius Andronicus, qui primus Latinas fecit tragoedias, e quibus non nisi fragmenta supersunt. De tempore, quo Livius, Naevius et Ennius vixerint, cff. Aulus Gellius. *Noct. Attic.* XVII. 21. Cicero *Tusc. Disp.* I. 1. et *in Bruto.* Cap. XVIII.

Fabulam docuisset] Scriptor *fabulam docere* dicitur, quum eam spectendam edit, quod etiam *fabulam dare* appellatur: nam Romae Aedilibus vendebantur fabulae, antequam Ludis Megalensibus aliisve agerentur. Cicero *in Bruto.* Cap. XVIII. »*Livius minor fuit aliquando is, qui primus* fabulam dedit, *quam ii, qui multas* docuerunt."

Centone Tuditanoque Consulibus] I. e. anno 239, post urbem conditam 514.

P. Licinii Crassi] Hic supra etiam memoratur Cap. IX. 27, p. 26.

hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est! Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte *Suadae medullam* dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem! Quae sunt igitur epularum aut ludorum aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae: quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt; ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe potest esse major.

XV. 51. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus

P. Scipionis] Videtur idem significari P. Cornelius Scipio Nasica, qui ob singularem prudentiam et moderationem animi *corculum* appellatur Ciceroni, *Tusc. Disp.* I. 9. Proconsul et Censor fuit paucis ante bellum Punicum annis.

Suadae medullam dixit Ennius] Fragmentum Ennii quod Hesselius p. 89. ad *Annal.* X. refert, verum Editor Lipsiensis p. 130. ad Libr. IX, est ejusmodi;

Additur Orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
Marci filius; is dictus popularibus ollis,
Qui tum vivebant homines, atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi, Suadaeque medulla.

In iis *flos delibatus* antique est i. q. *egregius, eximius.* De dictionis vi ait Cicero *in Bruto.* Cap. 15. a *Πειθὼ quam vocant Graeci, cujus effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius; ut quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit.* Πειθὼ nimirum erat Dea persuasionis, quam Ennius *Suadam*, alii vero *Suadelam*, imo etiam *Leporem* appellaverunt. Theseus hujus Deae religionem Athenis sanxerat; Pausanias *in Attic.* cap. 22. Cf. ejusdem *Corinthiac.* Cap. VII. et Herodotus VIII. 111.

Bene institutis] I. e. qui juvenes aut in priori vita bonarum artium disciplinas susceperunt, easque bene edocti sunt.

Illud Solonis] Vide supra ad Cap. VIII. §. 26. p. 24.

XV. 51. *Venio nunc ad voluptates agricolarum*] Locus maxime conjunctus fuit cum studio Catonis, cujus librum de Agricultura hodieque superstes est. Hunc de agricultura ser-

bus ego incredibiliter delector: quae nec ulla impediuntur senectute et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quae numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque majore cum fenore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat. Quae, quum gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit: primum id occoecatum cohibet: — ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est: — deinde tepefactum vapore et compressu suo diffindit et elicit herbescentem ex eo viriditatem: quae nixa fibris stirpium sensim adolescit culmoque erecta geniculato vaginis jam quasi pubescens includitur; e quibus quum emersit, fundit frugem spici ordine structam, et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.

52.

sermonem laudat ipse Cicero *de Offic.* I. 42. » *Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. De qua, quoniam in Catone majore satis multa diximus, illinc assumes, quae ad hunc locum pertinebunt.*" Cf. Plinius *Hist. Nat.* XVIII. 3.

Ad sapientis vitam] Haud aliter Columella *de Re Rust.* I. *Praef.* §. 4. » *Sola res rustica, quae sine dubitatione proxima et quasi consanguinea sapientiae est.*" cetera.

Numquam recusat imperium] *Imperium* exquisite dicitur de agricultura. Virgilius *Georg.* I. 99.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat *arvis.*

et eodem hujus poëtae carmine II. 369.

. . . . . *tum denique dura Exerce* imperia *et ramos compesce fluentis.*

Similiter ait Tacitus *in German.* XXVI. » *Solae terrae seges imperatur.*" Aliique passim.

Occoecatum] I. e. contectum terrâ et ita occultum. Hunc locum citat Nonius Marcellus, grammaticus p. 21.

Culmoque erecta geniculato] Culmus dicitur calamus plantarum, qui a radice ad spicam usque protenditur, et proprie de frumento dicitur, Virgilius *Georg.* III. 111.

. . . . . *gravidis procumbat* culmus *aristis.*

Nimirum *geniculatus culmus* ejusmodi est, qui nodis hic et illic distinguitur.

52.

52. Quid ego vitium ortus, satus, incrementa commemorem? Satiari delectatione non possum, ut meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium, quae generantur e terra; quae ex fici tantulo grano aut ex acino vinaceo aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. Malleoli, plantae, sarmenta, viviradices, propagines nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quae natura caduca est et, nisi fulta sit, fertur ad terram, eadem, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur. 53. Itaque ineunte vere in iis, quae relicta sunt, exsistit tamquam ad articulos sarmentorum ea, quae gemma dicitur; a qua oriens uva sese ostendit: quae et succo terrae, et calore solis augescens pri-

52. *Vitium ortus, satus.*] De vitium cultura disserit etiam Xenophon *in Oecon.* cap. 19, §. 12.

Malleoli] Novus palmes in vite *malleolus* dicebatur. *Flagellum* vero est pars major in vite, ex qua malleolus nascitur.

Viviradices] Planta, quae cum radice seritur, *viviradix* appellatur. Varro *de Re Rust.* I. 39. » *Quare cum semina fere quatuor sint generum, quae transferuntur e terra in terram viviradices.*" cetera; Columella *de Re Rust.* III. 14, 2. » *Sationis duo genera, malleoli vel viviradices.*

Propagines] Sic appellantur proprie vites suppressae, ut plures ex ea generentur.

Claviculis] *Claviculi* sunt ramuli minores et incurvati, quibus vites sustentantur. Cicero *de Nat. Deor.* II. 47. » *Jam vero vites sic claviculis adminicula, tamquam manibus apprehendunt, atque ita se erigunt ut animantes.*" Quod ita Plinius *Hist. Nat.* XXIII. *Proöem.* » *Claviculae ipsae quibus repunt vites.* cetera."

Silvescat sarmentis] I. e. ne sarmenta aut surculi nimium in speciem silvae augeantur et ita fructui noceant. Graeci dicunt ὑλομανέω, de quo notavit Wyttenbachius, vir Cel. *ad Plutarch. Moral.* p. 15, E.

53. *Gemma*] Propter similitudinem etiam *oculus* appellatur. Columella. IV. 24.

Pam-

primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit vestitaque pampinis nec modico tepore caret et himios solis defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu laetius, tum adspectu pulchrius? Cujus quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et ipsa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium sarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immissio. Quid ego irrigationes, quid fossiones agri repastinationesque proferam, quibus fit multo terra fecundior? 54. Quid de utilitate loquar stercorandi? — dixi in eo libro, quem *de rebus rusticis* scripsi — de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, quum de cultura agri scriberet: at Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante seculis fuit, Laërtem lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et eum stercoran-

Pampinis] Folium et virens ramusculus vitis. Virgilius *Georg.* I. 448.

Heu! male tum mitis defendet pampinus *uvas;*
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.

Capitum jugatio] I. q. capitum alligatio.

Aliorum immissio] Ernesti: „Sc. in sulcum, ut radices agat et deinde resectum novam vitem efficiat."

Dixi in eo libro] Nimirum Cato in Libro *de Re Rustica* Cap. V. §. 8 de stercoratione agit.

Hesiodus] Nempe in carmine, quod *Opera et Dies* inscribitur et praecepta de agrorum cultura complectitur.

At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante seculis fuit] Nimirum, quod dicit Herodotus II. 53, Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετραχαιδεκάτοισι ἔτεσι δοκέω μὲν πρεσβυτέρους γενέσθαι, καὶ οὐ πλέοσι, Herodotum ante Homerum memorans, hoc eam non habet vim, ut Hesiodum diserte antiquiorem faciat. At Hesiodus haud ita multo recentior fuit Homero: floruit nempe Homerus exeunte seculo decimo et Hesiodus nono seculo ineunte.

Laërtem — colentem agrum et eum stercorantem facit] Significari videtur locus ex Homeri *Odyssea* XXV. 225 sq.

τὸν δ' οἷον πατέρ' εὗρεν
ἴυκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ
λισσαρεύοντα φυτόν.

quo loco non diserta fit stercorandi mentio, etsi illa ars Home-

rantem facit. Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis et pomariis: tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones: quibus nihil invenit agricultura sollertius.

XVI. 55. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum; sed ea ipsa, quae dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rerum rusticarum provectus sum, et senectus est naturâ loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius, quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis: cujus quidem ego villam contemplans — abest enim

mero non fuerit ignota; *Odyssea* XVII. 299. Cf. Doct. J. Terpstra *Antiq. Homer.* p. 224. Quidquid Interpretes sudaverint, aliis aliter Homeri versum ad verba Ciceronis refingentibus, non facile tamen crediderim, Ciceronem aliter hunc locum legisse. Nimirum aut memoria eum fallere potuit, ita ut crediderit, quod Homerus Laërtem, non λισσαίνοντα, i. e. *circumfodientem* sed κοπρίσσοντα i. e. *stercorantem* fecerit. Aut fortasse melius, quam nostri interpretes, Cicero hunc locum perspexit, scilicet ideo arbores a Laërte circumfossas esse, ut stercus immitteret, quod etiam circumfossis arboribus addebatur.

Consitiones] *Conserere* et *serere* dicuntur tam de semine, quod terrae immittitur, quam de arboribus. Namque *plantare* et *plantatio* non dicuntur nisi ab iis scriptoribus, qui recentiori Romanorum tempore scripserunt. Hinc *arbores serere* et *surculos serere* Ciceroni *de Orat.* II. 69. et *vites serere* Horatio *Carm.* I. 18. dicuntur.

XVI. 55. *Provectus sum*] Recte Ernesti: „Longior factus sum in hoc argumento."

M'. Curius] De quo conff. Livii epitomae XI—XIV.

Cujus quidem villam ego contemplans] Quod facere solebat M. Cato: Plutarchus *in Cat. Maj.* II. p. 337. Ἦν δὲ πλησίον αὐτοῦ τῶν ἀγρῶν ἡ γενομένη Μανίου Κουρίου τοῦ τρὶς θριαμβεύσαντος ἔπαυλις. Ἐπὶ ταύτην συνεχῶς βαδίζων καὶ θεώμενος τοῦ τε χωρίου τὴν μικρότητα, καὶ τῆς οἰκήσεως τὸ λιτόν, ἔννοιαν ἐλαμβανε τοῦ ἀνδρός, ὅτι Ῥωμαίων μέγιστος γενόμενος, καὶ τὰ μαχιμώτατα τῶν ἐθνῶν ὑπαγαγόμενος, καὶ Πύρρον ἐξελάσας τῆς Ἰταλίας, τοῦτο τὸ

enim non longe a me — admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplinam. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati sunt. 56. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non efficere jucundam senectutem? Sed venio ad agricolas; ne a me ipso recedam. In agris erant tum senatores, et iidem, senes: siquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum: cujus dictatoris jussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Maelium regnum appetentem occupatum interemit. A villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes: ex quo, qui eos arcessebant, *viatores* nominati sunt. Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio, an nulla beatior possit esse: neque

τὸ χωρίδιον αὐτὸς ἔσκαπτε, καὶ ταύτην τὴν ἔπαυλιν ὤκει. μετὰ τρεῖς θριάμβους. κτλ. Et sane verosimile est Plutarchum h. l. Ciceronis verba ante oculos habuisse.

56. *Et iidem*] Orellius edidit *id est*, etiamsi Graevii scripturam, ab Ernesto receptam, probaverit. Vulgarem igitur, nempe, Ernestinam lectionem secuti sumus, quoniam recte judicat Ernesti: non omnes *senatores* esse *senes*.

Occupatum interemit] I. e. celeriter et ex improviso interemit: quo sensu *occupare* saepius occurrit veluti apud Livium I. 14. II. 48. et XXXI, 35. Rem ipsam, ut severioris imperii exemplum, laudat Cicero Catil. I. 1. » *num illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium, novis rebus studentem, manu sua occidit.*" Cf. Livius IV. 13, sq.

Viatores] Graece ὁδοιπόροι. Columella. I. *in Praef.* » *Illis temporibus proceres civitatis in agris morabantur, et, quum consilium publicum desiderabatur, a villis arcessebantur in senatum, ex quo, qui eos evocabant, viatores nominati sunt.*" Cf. Festus *de Verbor. Sign.* in voce *viatores*.

Haud scio an nulla] Operae pretium est Ernesti notulam repetere. » Correxi *nulla* vulgatum *ulla*: necessario, postulante latinitate et sententia. Cato negat ullam beatiorem vitam esse posse: id est *haud scio an nulla*: contrarium est *haud*

que solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque rerum omnium, quae ad victum hominum, ad cultum etiam Deorum pertinent, ut, quoniam haec quidam desiderant, in gratiam jam eum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est; abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Jam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant. Conditiora facit haec supervacanei etiam operis aucupium atque venatio. 57. Quid de pratorum viriditate aut arborum ordinibus aut vinearum olivetorumve specie dicam? Bre-

scio an ullae nam hoc affirmat." Posterius perperam edidit Orellius: Ernestum secuti sumus. Ceterum de hac formula vidd. Interpretes ad Corn. Nepotem *in Timol.* Cap. I. et Heusingerus ad Ciceron. *Offic.* I. 11. p. 86. Cff. p. 177. et p. 575.

Officio] I. e. *beneficio*; ita enim *officium* saepe exquisite ponitur, cum sit a verbo *officere*, quod est apte accommodate et decenter facere: Vide doctam Heusingeri Annotationem *ad Ciceronis Offic.* I. 1. 1.

Ad victum hominum, ad cultum Deorum] Imitatur Cicero Xenophontem *Oeconom.* V. §. 2, sq. Πρῶτον μὲν γὰρ ἀφ' ὧν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, ταῦτα ἡ γῆ φέρει ἐργαζομένοις· καὶ ἀφ' ὧν τοίνυν ἡδυπαθοῦσι, προσεπιφέρει. Ἔπειτα δὲ ὕδωρ κοσμοῦσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα, καὶ οἷς αὐτοὶ κοσμοῦνται, καὶ ταῦτα μετὰ ἡδίστων ὀσμῶν καὶ θεαμάτων παρέχει. κτλ.

Penaria est] Cicero *in Verrem.*, II. 2. » *Itaque M. Cato Sapiens*, cellam penariam *reipublicae nostrae*, *nutricem plebis Romanae*, *Siciliam nominavit.*" Penus quid sit docet idem *de Nat. Deor.* II. 27. » *Est enim omne*, *quo vescuntur homines* penus."

Succidiam] I. e. carnem suillam fumo aut conditam aut duratam. Varro *de Re Rust.* II. 4. » *Quis enim fundum colit nostrum*, *quin sues habeat et qui non audierit patres nostros dicere*, *ignavum et sumptuosum esse*, *qui succidiam in carnario suspenderit potius ab laniario*, *quam ex domestico fundo.*"

Conditiora facit haec] Aliae editiones habent *tum conditiora facit haec* cetera. Est vero *conditiora* i. q. *suaviora.*

Supervacanei — operis aucupium] Ernesti sic illustrat: » Aucupium et venationem supervacanei operis: quia in iis nulla est necessitas, ut in ceteris operibus rusticis."

57.

Brevi praecidam. Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius; ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. Ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius, vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? 58. Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam et pilam, sibi natationes atque cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras: id ipsum utrum lubebit; quoniam sine his beata esse senectus potest.

XVII. 59. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt, quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui *Oeconomicus* inscribitur! Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo: Cyrum minorem, regem Persarum, praestan-

57. *Praecidam*] Vox illa plane respondet Graeco ἐπιτέμνειν i. e. *breviter complecti* vel *paucis absolvere*. Hinc ἐπιτομὴ *breviarium*.

Ad quem fruendum] Simili structura Terentius *Heautontim.* I. 1, 82.

Quod illa aetas magis ad haec utenda *idonea 'st.*

Calescere — refrigerari] Xenophon *Oeconom.* V. § 9. χειμάσαι δὲ πυρὶ ἀφθόνῳ καὶ θερμοῖς λουτροῖς ποῦ πλείων εὐμάρεια ἢ ἐν χωρίῳ; ποῦ δὲ ἥδιον θερίσαι ὕδασί τε καὶ πνεύμασι καὶ σκιαῖς ἢ κατ' ἀγρόν;

58. *Clavam*] Genus armorum ludicrorum, quo etiam tirones exercitii causâ utebantur. Vegetius *de Re Militari* II. 11. Mox aliae editiones scribunt *sibi pilam.*

Atque cursus] Alii *et cursus.*

Talos relinquant et tesseras] Habebantur lusus senum, qui jam antiquitus apud Graecos in usu erant. In Euripidis *Medea* 66 Paedagogus ait; se audivisse aliquem dicentem

Πεσσοὺς προσελθών, ἔνθα δὴ παλαίτερος
Θάσσουσι.

Cf. Suetonius *in August.* 71.

XVII. 59. *Cyrum minorem, regem Persarum*] Ita vocatur Cyrus minor, qui proprie non rex erat, sed frater regis Persarum, nomine Artaxerxis Mnemonis. Erat enim haec Graecorum consuetudo, quam Cice-

stantem ingenio, atque imperii gloria, quum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam consaeptum agrum diligenter consitum ostendisse. Quum autem admiraretur Lysander et proce-

ro imitatur, ut non solum ipsos reges, sed etiam eorum filios, fratres, cognatos, affines βασιλεῖς voçarent; quales hodierna consuetudo *principes* vocat.

Quum Lysander vir Lacedaemonius] Cicero haec fere ad verbum expressit e Xenophonte *Oeconom.* IV. §. 20. Οὕτος τοίνον ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ, ὅτε ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων ὥρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι, (ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ Λύσανδρος ξένῳ ποτέ τινι ἐν Μεγάροις διηγούμενος) καὶ τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη. Ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη, ὁσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖεν αὐτοῖς περιπατοῦσι· καὶ ταῦτα θαυμάζων εἶπεν· Ἀλλ' ἐγώ τοι, ὦ Κῦρε, πάντα μὲν ταῦτα θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. Ἀκούσαντα δὲ ταῦτα τὸν Κῦρον ἡσθῆναί τε καὶ εἰπεῖν. Ταῦτα τοίνυν, ὦ Λύσανδρε, ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα καὶ διέταξα· ἔστι δ' αὐτῶν, φάναι, ἃ καὶ ἐφύτευσα αὐτός. Καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη, ἀποβλέψας εἰς αὐτόν, καὶ ἰδὼν τῶν τε ἱματίων τὸ κάλλος ὧν εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων τὸ κάλλος, καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχεν, εἰπεῖν· Τί λέγεις, φάναι, ὦ Κῦρε; ἦ γὰρ σύ ταῖς σαῖς χερσὶ τούτων τι ἐφύτευσας; Καὶ τὸν Κῦρον ἀποκρίνασθαι, Θαυμάζεις τοῦτο, ἔφη, ὦ Λύσανδρε; Ὀμνυμί σοι τὸν Μίθρην, ὅταν περ ὑγιαίνω, μὴ πώποτε ἱδρῶσαι, πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν τι ἢ τῶν γεωργικῶν ἔργων μελετῶν, ἢ ἀεὶ οὖν γέ τι φιλοτιμούμενος. Καὶ αὐτὸς μέντοι, ἔφη ὁ Λύσανδρος, ἀκούσας ταῦτα, δεξιώσασθαί τε αὐτὸν καὶ εἰπεῖν, Δικαίως μοι δοκεῖς, ἔφη, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι· ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς.

Communem] Alii habent *commem.*

Consaeptum agrum] Sic vertit Cicero παράδεισον, i. e. genus horti Persici, quod proprie a Persis ita appellabatur. Erat autem ager sepimento inclusus et arboribus consitus.

Di-

ceritates arborum et directos in quincuncem ordines et humum subactam atque puram et suavitatem odorum, qui afflarentur e floribus; tum eum dixisse, mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam ejus, a quo essent illa dimensa atque descripta; et ei Cyrum respondisse: » *Atqui ego omnia ista sum dimensus; mei sunt ordines, mea descriptio; multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.*" Tum Lysandrum intuentem purpuram ejus et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis, dixisse: » *Rite vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna conjuncta est!*" 60. Hac igitur fortuna frui licet senibus: nec aetas impedit, quo minus et ceterarum rerum et in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse, quum esset acta jam aetate in agris eosque coleret. Cujus inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. Ita, quantum spatium aetatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit: atque ejus extrema aetas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis ha-

Directos in quincuncem] Verba Xenophontis sunt ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, κτλ. Romanis valde placebant arbores in quincuncem directae; i. e. arbores ita positae, ut numeri quinarii figuram (*V*) referant. Varro *de Re Rust.* I. 7. » *De formae cultura hoc dico, quae saepe fiant venustiora, sequi ut majore quoque fructu sint: ut qui habent arbusta, si sata sunt in quincuncem, propter ordines atque intervalla modica.* Cf. Columella, III. 13, 4.

Tum eum dixisse] Aliae editiones *eum* omittunt.

Descripta] Conferantur, quae notavimus ad Cap. XIV. §. 49. p. 43.

Rite] Alii *Recte.*

60. *Ita, quantum*] Alii *itaque quantum* scribunt.

Senectutis initium] Anno plerumque quadragesimo septimo stipendium meruerant senesque appellabantur Romani.

Laboris minus] Aliae editiones habent, quae sunt in Ernestinis exemplaribus, *laboris vero minus.*

Apex

stantem ingenio, atque imperii gloria, quum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis eique dona a sociis attulisset, et ceteris in rebus communem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam consaeptum agrum diligenter consitum ostendisse. Quum autem admiraretur Lysander et pro-

ce-

ro imitatur, ut non solum ipsos reges, sed etiam eorum filios, fratres, cognatos, affines βασιλεῖς vocarent; quales hodierna consuetudo *principes* vocat.

Quum Lysander vir Lacedaemonius] Cicero haec fere ad verbum expressit e Xenophonte *Oeconom.* IV. §. 20. Οὗτος τοίνον ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ, ὅτε ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων δῶρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι, (ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ Λύσανδρος ξένῳ ποτέ τινι ἐν Μεγάροις διηγούμενος) καὶ τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη. Ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη, ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖεν αὐτοῖς περιπατοῦσι· καὶ ταῦτα θαυμάζων εἶπεν· Ἀλλ' ἐγώ τοι, ὦ Κῦρε, πάντα μὲν ταῦτα θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. Ἀκούσαντα δὲ ταῦτα τὸν Κῦρον ἡσθῆναί τε καὶ εἰπεῖν. Ταῦτα τοίνυν, ὦ Λύσανδρε, ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα καὶ διέταξα· ἔστι δ' αὐτῶν, φάναι, ἃ καὶ ἐφύτευσα αὐτός. Καὶ ὁ Λύσανδρος ἔφη, ἀποβλέψας εἰς αὐτόν, καὶ ἰδὼν τῶν τε ἱματίων τὸ κάλλος ὧν εἶχε, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, καὶ τῶν στρεπτῶν καὶ τῶν ψελλίων τὸ κάλλος, καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχεν, εἰπεῖν· Τί λέγεις, φάναι, ὦ Κῦρε; ἦ γὰρ σύ ταῖς σαῖς χερσὶ τούτων τὶ ἐφύτευσας; Καὶ τὸν Κῦρον ἀποκρίνασθαι, Θαυμάζεις τοῦτο, ἔφη, ὦ Λύσανδρε; Ὄμνυμί σοι τὸν Μίθρην, ὅταν περ ὑγιαίνω, μὴ πώποτε δειπνῆσαι, πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τῶν πολεμικῶν τι ἢ τῶν γεωργικῶν ἔργων μελετῶν, ἢ ἀεὶ οὖν γέ τι φιλοτιμούμενος. Καὶ αὐτὺς μέντοι, ἔφη ὁ Λύσανδρος ἀκούσας ταῦτα, δεξιώσασθαί τε αὐτὸν καὶ εἰπεῖν, Δικαίως μοι δοκεῖς, ἔφη, Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι· ἀγαθὸς γάρ ὢν ἀνὴ εὐδαιμονεῖς.

Communem] Alii habent co-
mem.

Consaeptum agrum] Sic ve-
tit Cicero παράδεισον, i.
genus horti Persici, quod pr-
prie a Persis ita appellat-
Er- ger sepiment-
c ribus



habebat plus, laboris minus. Apex est autem senectutis auctoritas. 61. Quanta fuit in L. Caecilio Metello! quanta in Atilio Calatino! in quem illud elogium † unicum: *Plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.* Notum est carmen incisum in sepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium esset fama consentiens! Quem virum nuper P. Crassum, pontificem maximum, quem postea M. Lepidum, eodem sacerdotio praeditum, vidimus! Quid de Paullo aut Africano loquar? aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates.

XVIII. 62. Sed in omni oratione mementote eam me

ac-

Apex autem senectutis] I. e. summus honor et ornamentum senectutis. *Auctoritatis* vim supra explicavimus ad Cap. VI. §. 15. p. 15.

61. *Elogium*] Est inscriptio sepulcri, titulus, quo plerumque laudabatur defunctus.

Unicum: Plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum] Orellius legendum esse monet: *Unum hunc plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum*: quod elogium memoratur etiam *de Finib.* II. 35. §. 116, ad quem locum Orellius suae emendationis rationes ita reddit. » Unicam et hujus loci et *de Senect.* §. 61. emendandi viam, eandemque certissimam, demonstrat elogium L. Scipionis, Barbati fil. apud Visconti *Monum. de gli Scipioni Tav.* V. p. 14: HONC OINO PLOIRVME COSENTIONT (*sic*) R. . . . . DVONORO OPTVMO FVISE VIRO. Ergo in Calatini quoque monumento erat vel HONC OINO vel, quo ducunt optimi Cod. Pal. pr. Spir. Erl. exhibentes *uno cum*, OINO HONC, sicque dedi, recentiore scriptura, quam in ceteris librarii potius, quam Tullius ipse, videntur secuti esse, cur enim interpretatus esset (Cicero *de Finib.* l. c.) in seqq.? Fuit igitur: OINO HONC PLOIRVME COSENTIONT cet." Haec Orellius probabiliter disputare videtur. — Ceterum C. Atilius Calatinus saepius laudatur a Cicerone veluti *de Finib.* l. c. *de Nat. Deor.* II. 23. et *pro Plancio* Cap. 25. fuitque consul anno Urbis 495 et Dictator anno 504.

Ut jam ante de Maximo] Nimirum Cap. IV, ubi multa de eo dicuntur.

62.

senectutem laudare, quae fundamentis adolescentiae constituta sit. Ex quo efficitur id, quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: *miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet.* Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt; sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. 63. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli: quae et apud nos et in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedaemonium, cujus modo mentionem feci, dicere ajunt solitum, Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, quum Athenis, ludis, quidam in theatrum

XVIII. 62. *Adolescentiae*] Ernesti: » Sc. honeste actae, ut post ait."

Miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet] Cicero Catonis dictum memorare videtur, quod, sententia mutata, exstat apud Plutarchum *in Caton. Maj.* Cap. XV. p. 344. Λέγεται γὰρ ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πεντήκοντα φυγεῖν δίκας, μίαν δὲ τελευταίαν ἔξ ἔτη καὶ ὀγδοήκοντα γεγονώς. Ἐν ᾗ καὶ τὸ μνημονευόμενον εἶπεν· ὡς χαλεπόν ἐστιν ἐν ἄλλοις βεβιωκότα ἀνθρώποις, ἐν ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι, i. e. *miserum esse, quod is, qui inter alios homines vixerit, apud alios se defendere cogatur.* Quod dictum M. Scauro tribuit Valerius Maximus III. 7, 8.

Non cani non rugae] Videtur Cicero exprimere hos versus Menandri apud Stobaeum *Sermon.* L. p. 356.

Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
Ἀλλ' ὁ τρόπος ἑνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.

i. e. *non cani capilli efficiunt, ut sapiat quis, sed mores nonnullorum naturâ seniles sunt.*

63. *Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis*] Justinus III. 3. » *Nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habet.*" Quod dictum fuisse a Lysandro memorat Plutarchus *An Seni sit gerend. resp.* p. 795. F. ὁ Λύσανδρος εἶπεν, ὡς ἐν Λακεδαίμονι κάλλιστα γηρῶσιν.

Quum Athenis — sessum re-

trum grandis natu venisset, in magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus: quum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati quum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes et senem illum sessum recepisse. 64. Quibus quum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam: Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio praeclara: sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque aetate antecedit, ita sententiae principatum tenet: neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur. Quae sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis praemiis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse, nec tamquam inexercitati histriones, in extremo actu corruisse. — 65. At sunt

recepisse] Hanc narrationem e Cicerone sumsisse videtur Valerius Maximus IV. 5. *Extern.* 2. et Plutarchus *Apophthegm. Lacon* LII. p. 235, D.

64. *Scire quae recta essent, sed facere nolle*] Perversum illum Atheniensium morem perstringit Demosthenes *Olynthiac.* III. §. 3. p. 29. *Reisk.* πέπεισμαι γὰρ ἐξ ὧν πάρων καὶ ἀκούων σύνοιδα, τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι τῷ μὴ βούλεσθαι τὰ δέοντα ποιεῖν, οὐ τῷ μὴ συνιέναι. — Verbi ἐκπεφευγέναι significatio metaphorica desumta est a venatione. — Fortasse Euripides, in fabula deperdita *Chrysippo* haec dicens idem illud vitium notavit

Αἰ, αἰ, τόδ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακόν,
Ὅταν τις εἰδῇ τἀγαθόν, χρῆται δὲ μή.

Huc etiam pertinent, quae dicuntur a Pericle, qui cum Socrate colloquitur, apud Xenoph. *Memor.* III. 5. 15.

Nostro collegio] I. e. collegio Augurum.

Inexercitati histriones] Eadem comparatione utitur Cicero ad Quintum Fratrem. *Epist.* I. 1. §. 16. » *Illud te ad extremum et oro et hortor, ut, tamquam poëtae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui, tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.*"

65.

sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes. Si quaerimus, etiam avari! — Sed haec morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen et ea vitia, quae dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem justae, sed quae probari posse videatur: contemni se putant, despici, illudi; praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quae tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus: idque tum in vita tum in scena intelligi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis sunt. Quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic se res habet: ut enim non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo. 66. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quam, quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere?

XIX. Quarta restat causa, quae maxime angere atque sollicitam habere nostram aetatem videtur, appropinquatio mortis: quae certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut

65. *Morosi*] Morositas dicitur de iis, quibus non facile quid satisfacit et probatur, et qui exinde aliorum facta et officia iniquis accipiunt animis.

Dulciora fiunt] Alii *dulciora sunt*.

In Adelphis] Fabula Terentii, in qua duo Senes Micio et Demea, quorum hic durior est in filium, ille juvenili aetati plurima liberaliter concedit.

66. *Avaritia*] Cicero in universum avaritiam reprehendit *de Offic.* I. 20. „ . . . *et pecuniae fugienda cupiditas. Nihil enim est tam angusti animi tamque parvi, quam amare divitias.*" Et saepius illam improbaverunt antiqui scriptores, veluti Sallustius *Catil.* 2, Euripides apud *Stobaeum Serm.* LXXXIX. p. 499. Seneca *de Ira* I. 16. Horatius *Epist.* I. 1. 53. et Ovidius *Fastor.* I. 195.

XIX. *Quae aut plane negligenda est*] Idem hoc argumen-

aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. 67. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures quam nostra mortis casus habet: facilius in morbos incidunt adolescentes; gravius aegrotant; tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullae omnino civitates essent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, quum illud videatis cum adolescentia esse commune? 68. Sensi ego tum in optimo filio meo, tum in

mentum tractat Cicero *Tusc. Disp.* I, 11. §. 25. » *Quid hoc? dasne aut manere animos post mortem aut morte ipsa interire?* A. *Do vero.* M. *Quid si maneant?* A. *Beatos esse concedo.* M. *Sin intereant?* A. *Non esse miseros, quoniam ne sint quidem. Nam istud, coacti a te, paullo ante concessimus.* M. *Quomodo igitur aut cur mortem malum tibi videri dicis? quae aut beatos nos efficiet, animis manentibus; aut non miseros, sensu carentes.*" Quae etiam attigit ejusdem Libri cap. XXXIV.

67. *Facilius in morbos incidunt adolescentes*] Sumta haec esse videntur ex Hippocrate *de Victus Ratione* I. p. 350. *Τῶν δὲ ἡλικιέων νοσερώταται ὁκόσαι νεώτεραί εἰσιν.*

Tristius curantur] Haec verba nonnihil habent obscuritatis: sed referenda esse videntur ad curam tristem ac laboriosam, quâ morborum juvenilium vehementia indiget. Hoc est, quod Medici docebant: *τὰ γὰρ ἔσχατα τῶν νοσημάτων ἐχσάτων δεῖται καὶ τῶν φαρμάκων.* Hippocrates *Sect.* I. *Aphorism.* VI. Cf. Hippocrates *de Morbis* I. p. 456. et *Sect.* II. *Aphorism.* 39. — Alii hoc *tristius* de consanguineis et amicis aegrotantium dictum esse arbitrantur, quod minus mihi probatur. Ceterum *curare* proprium est Medicis, qui morbo cuidam medicantur.

Quod ni ita accideret] Haec Ernesti. » I. e. nisi plerique ante senectutem morerentur, essetque adeo major senum numerus."

68. *In optimo filio meo*] Catonis filius praetor obiit morbo, Plutarchus *Caton. Major.* Cap.

in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, mortem omni aetati esse communem. — At sperat adolescens, diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. — Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? — Senex ne quod speret quidem habet. — At est eo meliore conditione quam adolescens, quum id, quod ille sperat, hic [jam] consecutus est. Ille vult diu vivere, hic diu vixit. 69. Quamquam, o Dii boni! quid est in hominis vita diu? Da enim supremum tempus: ex-

Cap. XXIV. p. 351. Ὁ δὲ πρεσβύτερος υἱὸς ἐτελεύτησε στρατηγῶν. Καὶ μέμνηται μὲν αὐτοῦ πολλάκις ἐν τοῖς βιβλίοις ὁ Κάτων, ὡς ἀνδρὸς ἀγαθοῦ γεγονότος· πράως δὲ καὶ φιλοσόφως λέγεται τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν, καὶ μηδὲν ἀμβλύτερος δι' αὐτὴν εἰς τὰ πολιτικὰ γενέσθαι. Et ipse Cicero hujus filii meminit *Epist. ad Divers.* IV. 6: » *et vester Gallus et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eorum luctum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex republica consequebantur.*"

Fratribus tuis] Duos septem diebus filios adolescentes L. Aemilius Paullus morbo amisit, hujus Scipionis pater naturalis. Cicero *Tusc. Disp.* III. 28. et Plutarchus *in Aemilio* XXXV. p. 274, A.

69. *O Dii boni! quid est in hominis vita diu*] Nihil in vita diurnum esse, sic disputat Cicero, *Tusc. Disp.* I. 39. » *Quae vero aetas longa est? aut quid omnino homini longum? nonne*

Modo pueros, modo adolescentes, in cursu a tergo insequens
Nec opinantes assecuta est

senectus? sed quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista, perinde ut cuique data sunt pro rata parte, ita longa aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est: quae vero occidente sole decrepita; eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate; in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae, reperiemur." Locus ille Aristotelis est *Histor. Animal.* V. 19. Eadem res memoratur ab Aeliano *Hist. Anim.* V. 43 et Plinio *Hist. Nat.* XI. 36: porro conferatur Davisius *ad Ciceronis Tusc.* l. l. Ceterum Plutarchus *de consolat. ad Apoll.* p. 111, A. ita in eodem

exspectemus Tartessiorum regis aetatem. Fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Quum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horae quidem cedunt et dies et menses et anni: nec praeteritum tempus unquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. 70. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est; modo, in quocumque fuerit actu, probetur: nec sapienti usque ad *Plaudite* veniendum est. Breve enim tempus aetatis satis est longum ad bene

argumento versatur, ut eum haec Ciceronis verba ante oculos habuisse dicas.

Arganthonius] Herodotus I. 163. ἁπικόμενοι (Sc. Φωκαιέες) δὲ ἐς τὸν Ταρτησσόν, προσφιλέες ἐγένοντο τῷ βασιλεῖ τῶν Ταρτησσίων, τῷ οὔνομα μὲν ἦν Ἀργανθώνιος· ἐτυράννευσε δὲ Ταρτησσοῦ ὀγδώκοντα ἔτεα, ἐβίωσε δὲ πάντα εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Ibique conferatur Wesselingius.

70. *Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula*] Jam supra ad Cap. II. §. 5. p. 6, obiter illam comparationem notavimus, pluribus ad hunc locum illustrandum servatis. Etenim, in eadem re frequentari histrionis et fabulae comparationem, docuit Cel. Wyttenbachius, *ad Plutarchum de cons. ad Apoll.* p. 111. A. *Annot.* p. 361, cujus verba adscribemus, quoniam haec Plutarchi editio haud ita omnium manibus versatur. » Senecae *Epist.* LXXV. » *Quomodo fabula sic vita: non quamdiu, sed quam bene acta sit refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocumque voles desine: tantum bonam clausulam impone.*" Epicteti *dissert.* IV, 1. p. 574. *Enchiridio* Cap. XVII. Aristonis Chii, apud Diogenem Laërtium VII. s. 160, M. Antonini III, 8. Egregia est admonitio Aristidis *Oratione Funebri in Etoneum.* Tom. I. p. 79." Haec Wyttenbachius Vir Cel. qui Aristidis verba adscripsit, quae in rem nostram minus nobis videbantur necessaria.

Nec sapienti usque ad Plaudite veniendum est] Aliis editionibus legitur *neque sapienti usque ad Plaudite vivendum.* — Histrio, fabula finita, *vos plaudite* dicere solebat, ut spectatores intelligerent, fabulam *peractam*, i. e. ad finem usque actam esse. Horatius *Epist. ad Pison.* 154.

Si

ne honesteque vivendum: sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolae dolent, praeterita verni temporis suavitate, aestatem autumnumque venisse. Ver enim tamquam adolescentiam significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. 71. Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus adversante et repugnante natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut quum aquae multitudine vis flammae opprimitur: senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur: et quasi poma ex arboribus, cruda si sint, vix avelluntur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas; quae quidem mihi tam jucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.

XX. 72. Omnium aetatum certus est terminus; seneco-

Si plausoris eges aulaea manentis et usque
Sessuri, donec cantor vos plaudite *dicat;*

Et Quinctiliani *Instit. Orator.* VI. 1, 4. » *Tunc est commovendum theatrum, quum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragoediae comoediaeque clauduntur:* Plaudite."

Quasi terram videre videar] Proverbialiter dictum est. Eandem vitae et mortis comparationem cum navigatione et adventu in portum egregie persequitur Cicero *Tusc. Disp.* I. 49. (mortem) » *portum potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paulo tardius referamur necesse est.*"

XX. 72. *Omnium aetatum certus est terminus*] Philosophi veteres saepius in eo elaborarunt, ut certo annorum numero senectutem circumscriberent et definirent. Plato ad annum octogesimum primum, Staseas, Peripateticus, summam senectutem ad

nectutis autem nullus certus est terminus; recteque in ea vivitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, ut animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, quum illi quaerenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur: *Senectute.* Sed vivendi est finis optimus, quum integra mente ceterisque sensibus opus ipsa suum eadem, quae coagmentavit, natura dissolvit. Ut navem, ut aedificium idem destruit facillime, qui contruxit; sic hominem eadem optime, quae conglutinavit, natura dissolvit. Jam omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile devellitur. Ita fit, ut illud breve vitae reliquum nec avide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit: 73. vetatque Pythagoras injussu imperatoris, id est, Dei, de praesidio et statione vitae decedere. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se ne-

ad octogesimum quartum annum progredi arbitrabantur. Videatur Havercampius ad Censorinum *de die natali* XV. p. 72.

Pisistrato a Solone] Plutarchus *An seni sit gerend. reip.* p. 794, F. Solon nempe, Pisistrato tyrannidem affectante, solus ejus conatibus restitit. πέμψαντος δὲ τοῦ Πεισιστράτου πρὸς αὐτὸν καὶ πυνθανομένου τινι πεποιθὼς ταῦτα πράττει, τῷ γήρᾳ, εἶπεν. Verum in hac re narranda Plutarchus sibi non constat, qui in vita Solonis Cap. XXXI. p. 96. dicit: Solonem hoc amicis, ejus audaciam suspicientibus, respondisse.

73. *Vetatque Pythagoras — de statione vitae decedere*] Hanc sententiam e Platone refert Cicero. Exstat nimirum *in Phaedone* p. 62, B. ubi Plato Philolaum Pythagoreum sequi videtur, etsi alio loco *in Cratylo* p. 400, C. *corpus esse animi carcerem*, ad Orphicos auctores refert. Cf. Wyttenbachius *ad Phaedon.* p. 139. Cicero saepius eandem sententiam tuetur: veluti *Tusc. Disp.* I. 30. „*Cato*" (scilicet Cato Uticensis) „*autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare: cum vero causam justam Deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis: nae ille medius fidius, vir sapiens, laetus ex his*

negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Vult, credo, se esse carum suis: sed haud scio, an melius Ennius:

Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletu
Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. 74. Jam sensus moriendi aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, praesertim seni: post mor-

his tenebris in lucem illam excesserit." Quo Ciceronis loco *medius fidius* scribantur *me Dius Fidius*, ut dicitur Latine *me Hercules:* Korte ad *Epist. ad Div.* VI. 7, 5. De hoc Deo *Dio Fidio* agit Varro *de Ling. Lat.* IV. 10. » Aelius Gallus *Dius Fidius dicebat Diovis filius, ut Graeci Διόσκουρον Castorem: et putabant hunc esse Sancum ab Sabina lingua et Hercule ab Graeca.*" De *Sanco* cf. Livius VIII. 20.

Quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare] Graecum illud elogium exstat apud Plutarchum *comp. Solon. cum Poplicol.* p. 109. F.

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος πόλει, ἀλλὰ φίλοισι
Καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Eosdem versiculos servat Stobaeus *Serm.* CXXI. p. 612. cf. Menagius ad Diog. Laërt. I. 61. p. 36. Quod Solonis elogium ita latinum fecit Cicero *Tusc. Disp.* I. 49.

Mors mea ne careat lacrymis. linquamus amicis
Moerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Nemo me] Cicero *Disp. Tusc.* I, 15. » *quid poëtae nonne post mortem nobilitari volunt? unde ergo illud.*

Adspicite, o cives, senis
Enni imagini' formam.
Hic vestrum panxit maxuma facta patrum.

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria: idemque (i. e. in eodem epitaphio)

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur? volito vivu' per ora virûm.

Ceterum apertius Cicero Ennii sententiam Solonis dicto praefert. *Tusc. Disp.* I. 49. » *melior Ennii, quam Solonis oratio.*"

74. *Jam sensus moriendi*] Vulgo *morienti*, quod excogitaverat Ernesti et in Msto Erf. reperiebatur: propterea Vir Doct. *morienti* suspicatus erat, ut respondeat magis sequenti: *praesertim seni.*

Sed

mortem quidem sensus aut optandus aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est, et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens qui poterit animo consistere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, quum recorder, non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus; 75. non duo Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt; non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hos-

Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem ut negligamus] Totam philosophorum vitam mortis commentationem esse, arbitrabatur Socrates, qui eos, qui mortem timeant φιλοσωμάτους, non φιλοσόφους, appellabat. Eandem sententiam Platoni probavit, qui *in Phaedone* p. 67, E. τῷ ὄντι ἄρα, ἔφη, ὦ Σιμμία, οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. Hinc illa sententia etiam ad Stoicos propagata est, e quibus Seneca *de Brevit. Vitae* VII. » *Vivere tota vita discendum est: et, quod magis fortasse miraberis, tota vita discendum est mori.*"

Moriendum enim certe est] Hoc est, quod Socrates dixit, de animi immortalitate disputans apud Platonem, *Phaedon.* p. 115. A. Ὑμεῖς μὲν οὖν, ἔφη, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέβης καὶ οἱ ἄλλοι, εἰσαῦθις ἔν τινι χρόνῳ ἕκαστοι πορεύεσθε· ἐμὲ δὲ νῦν ἤδη καλεῖ, φαίη ἂν ἀνὴρ τραγικός, ἡ εἱμαρμένη. Ad quem locum conf. docta Wyttenbachii annotatio p. 323.

Animo consistere] *Consistere* dicuntur ii, in quos animi perturbationes non cadunt, iisque adeo non impediuntur, quominus facere possint, quae velint.

75. *M. Atilium*] Sc. Regulum. Quoniam nec Polybius nec Diodorus Siculus ejusmodi quid de Regulo narrant, multi principum historicorum silentio illud effici arbitrantur, ut tota illa de Regulo narratio fabulosa sit. Vide Palmerium ad *Appian.* p. 152. Eandem rem saepius narrat Cicero e. g. *de Offic.* I. 13. » *Ut primo Punico bello Regulus captus a Poenis, quum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetque se rediturum, primum ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit; deinde, quum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.*" Cf. ejusdem *Offic.* III. 26. Romanos odio Karthaginiensium Reguli mortem multo atrociorem, quam fuit, narrare,

vix

hosti datam conservaret; non duo Scipiones, qui iter Poenis vel corporibus suis obstruere voluerunt; non avum tuum L. Paullum, qui morte luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem; non M. Marcellum, cujus interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est: sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum saepe locum profectas alacri animo et erecto, unde se numquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici, contemnunt, id docti senes extimescent? 76. Omnino, ut mihi quidem videtur, studiorum omnium satietas vitae facit satietatem. Sunt pueritiae certa studia; num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt ineuntis adolescentiae; num ea constans jam requirit aetas, quae media dicitur? Sunt etiam hujus aetatis; ne ea quidem quaeruntur a senectute: sunt extrema quaedam studia senectutis: ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod quum evenit, satietas vitae tempus maturum mortis affert.

XXI. 77. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos, vivere arbitror, et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum

vix dubito. Quominus credam omnia ficta fuisse, prohibet diserta Ciceronis memoratio.

76. *Sunt ineuntis adolescentiae*] Vulgo legitur *sunt et ineuntis adolescentiae*.

XXI. 77. *Quae est sola vita nominanda*] Nam haec quidem vita mors est: mors autem vita est, quod Heraclitus et Euripides subinde dixerunt, indeque Cicero pluribus hanc sententiam explicuit *Tusc. Disp.* I. 31. » *Hoc et, dum erimus in terris, erit illi caelesti vitae simile: et, quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper*

 jue-

dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur; est enim animus caelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae, aeternitatique contrarium. Sed credo, Deos immortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur quique caelestium ordinem contemplantes imitarentur eum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, ut ita crederem: sed nobilitas etiam summorum philosophorum

fuerunt, etiam quum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt: quo quum venerimus, tum denique vivemus. Nam haec quidem vita mors est: quam lamentari possem si liberet."

Est enim animus caelestis] Depromptum est illud e philosophia Pythagorea et Platonica, quorum uterque statuebat meliorem animi partem esse immortalem, quippe quae divinae substantiae particeps esset, *Diog. Laërt.* VIII. *s.* 28, deteriorem vero mortalem; non quidem ita, ut post mortem statim exstingueretur, sed ut post multos annorum circuitus interiret. Hinc et Virgilius sua hausit *Aeneid.* VI. 745.

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque auraï simplicis ignem.

Ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram] Metaphora desumta est a re nautica. Navis, e. g. rostro percussa et fracta deprimitur et in aquam demergitur.

Sed credo Deos immortales — vitae modo atque constantia] Cicero *de Nat. Deor.* » *Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum.*" Quod minus recte J. Davisius Stoicis solis tribuit. Namque Wyttenbachius Vir Cel. ad Plutarchum *de sera Num. Vindict. p.* 29, observat, hoc verisimiliter Anaxagorae esse, ordinem quem in motu rerum caelestium admiramur, nobis in vita esse exprimendum: quoniam ejus discipulus Euripides *Phoenis* 546. his Jocasten utentem facit, quum Eteoclem ad temperantiam hortatur:

Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
ἰσότης ἔταξε κἀριθμὸν διώρισε,
νυκτός τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον, ἡλίου τε φῶς
ἴσον βαδίζει τὸν ἐνιαύσιον κύκλον,
κοὐδέτερον αὐτοῖν φθόνον ἔχει νικώμενον.

78.

rum et auctoritas. 78. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus: demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio: quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa; non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agite-

78. *Audiebam Pythagoram — incolas paene nostros*] Nimirum Pythagoras, in insula Samo natus, in Italiae urbe Crotone sodalitium condidit, cujus consilium artissime cum rebus civilibus conjunctum fuisse videtur.

Quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus] Cicero *de Nat. Deor.* II. 11. „*Nam Pythagoras, qui censuit, animum, esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit, distractione humanorum animorum discerpi et lacerari Deum.*" Conf. *Tusc. Disp.* V. 13, *De Divinit.* I. 49. Plutarchus *de Placit. Philos. IV.* 7. p. 899, C. et Diogenes Laërtius VII. 28.

De immortalitate animorum disseruisset] Nimirum in Platonis Dialogo *Phaedone* exstat illa Socratis de animi immortalitate disputatio.

Sapientissimus oraculo Apollinis judicatus] Idem memorat Cicero *de Amic.* cap. 4. Oraculum Apollinis de sapientissimo viro interrogatum his versibus respondit

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Ἐυριπίδης
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

quos versus servat Suidas *in voce* σοφός.

Quum tanta celeritas sit animorum — esse mortalem] Argumentum hoc est Aristotelicum, quod sic exposuit Cicero *Tusc. Disp.* I. 10. „*Aristoteles — quum quattuor illa genera principiorum esset complexus*" (nempe aquam, aërem, ignem et terram) „*e quibus omnia orirentur, quintam quamdam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere et discere et docere et invenire aliquid et tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari haec et similia eorum in horum quattuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine et sic ip-*

tetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus: et, quum simplex animi natura esset neque haberet in se quidquam admix-

ipsum animum ἐντελέχειαν appellat, novo nomine, quasi quamdam continuatam motionem et perennem." Vocem ἐντελέχειαν attigimus ad Theonem Smyrnaeum p. 166.

Tot artes tantae scientiae] Recte Schuetzius et Gernhardius *tantae scientiae* pro Genitivo singulari habent. Sic dicitur *in studiis scientiae* Ciceroni *de Offic.* I. 6. §. 19.

Quumque semper agitetur animus] Argumentum est Platonis, desumtum ex *Phaedro* p. 245, D. sqq. quem Platonis locum expressit Cicero in somnio Scipionis i. e. *de Republ.* VI. 25. et *Tusc. Disp.* I. 23. » *Quod semper movetur, aeternum est. Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit; quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principii autem nulla est origo. Nam e principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne caelum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsa moveatur. Quum pateat igitur, aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae se ipsa semper moveat, neque nata certe est, et aeterna est.*" Conf. ad hunc Platonis locum et Ciceronianam interpretationem Astius *ad Phaedrum* p. 283. Ceterum de eodem argumento videantur Plato *de Legib.* X. p. 894. C. et Plotinus *Ennead* p. 463 A. et Macrobius in *Somn. Scipion.* II. 15.

Quum simplex animi natura esset — interire] Item argumentum Platonis, quod est *in Phaedone* p. 79, sq. cujus philosophi ita concluditur disputatio: *Τί οὖν, τούτων οὕτως ἐχόντων, ἆρ' οὐχὶ σώματι μὲν ταχὺ διαλύεσθαι προσήκει· ψυχῇ δὲ αὖ τοπαράπαν ἐναντίως εἶναι.* Hoc, quod animo *simplex* est, Graece ἀσύνθετον appellatur ejusque contrarium σύν-

mixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Platonis fere.

XXII. 79. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major, haec dicit: » Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, quum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum

σύνθετον compositum. Nimirum quodcumque est simplex, i. e. ex aliis non compositum, aeternum sit et immutabile necesse est.

Magnoque esse argumento — recordari] Argumentum illud a Pythagoreis ortum, Plato celebravit in Dialogo *Phaedone* p. 72, E. et in *Menone* p. 82, B. Hoc autem argumentum Platonis explicat Cicero *Tusc. Disp.* I. 24. Quomodo verba *reminisci* et *recordari* differant, docet Varro *de Ling. Lat.* V, 6. » *Sic* reminisci, *quum ea quae tenuit mens ac memoria, cogitantur et cogitando repetuntur* — recordari *rursus in cor revocare.*"

Haec Platonis fere] Vulgo *Haec Plato noster* quae probantur Ernesto, quoniam, ut ait Vir Doct., melius ea respondent sequentibus *Apud Xenophontem autem Cyrus:* quae ratio sane nihil probat, quoniam hae formulae haud ita opponuntur. His accedit, quod recte monet Orellius, Ciceronem dicere potuisse *Plato noster* i. e. Plato quem in singulis probo et sequor et magni facio: sed eos, qui *noster* rescripserint, minime meminisse, Catonem hic, non Ciceronem, loqui.

Apud Xenophontem] Cyri morientis oratio est apud Xenophontem *in Cyropaed.* VIII. 7. §. 6. sed hanc non integram Cicero imitando expressit, sed eam tantum partem, quae est inde a §. 17.

Nolite arbitrari — etiam si nullum videbitis] Graeca Xenophontis haec sunt: l. c. §. 17. *Οὐ γὰρ δήπου τοῦτό γε σαφῶς δοκεῖτε εἰδέναι, ὡς οὐδὲν ἐγὼ ἔτι, ἐπειδὰν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου τελευτήσω· οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τήν γε ἐμὴν ψυχὴν ἑωρᾶτε, ἀλλ' οἷς διεπράττετο, τούτοις αὐτὴν ὡς οὖσαν κατεφωρᾶτε.*

Nusquam aut nullum fore] Hoc sensu *nullum* pro *non* peculiarem emphasin habere, monet Doct Bergman ad Wyttenbachii Vitam Ruhnk. p. 338. et docet sensum esse, nullo amplius loco fore, prorsus ad nihilum redactum iri; eodem sensu quo *Tusc. Disp.* I. 38. mortui dicun-

meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. 80. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, quum exissent ex eis, emori: nec vero, tum animum esse insipientem, quum ex insipienti corpore evasisset; sed, quum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, quum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus, nec, quum adest, nec, quum discedit, apparet. Jam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. 81. Atqui dormientium animi

cuntur *nulli*, i. e. qui nusquam amplius sunt. Haec vita a Wyttenbachio, Viro Cel. elegantissime conscripta et docta annotatione Bergmanni aucta, tironibus satis commendari nequit.

80. *Nec vero clarorum — memoriam sui teneremus*] Xenophon l. c. *Τοῖς δὲ φθιμένοις τὰς τιμὰς διαμένειν ἔτι ἂν δοκεῖτε, εἰ μηδενὸς αὐτῶν αἱ ψυχαὶ κύριαι ἦσαν*; Quibuscum consentiunt, quae Cicero disputat *Tusc. Disp.* I, 14. *Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt et maxime quidem, quae post mortem futura sint.*"

Mihi quidem — hec quum discedit apparet] Xenophon l. c. §. 19 sq. *Οὕτοι ἔγωγε, ὦ παῖδες οὐδὲ τοῦτο πώποτε ἐπείσθην, ὡς ἡ ψυχή, ἕως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ· ὅταν δὲ τούτου ἀπαλλαγῇ, τέθνηκεν. Ὁρῶ γὰρ ὅτι καὶ τὰ θνητὰ σώματα, ὅσον ἂν ἐν αὐτοῖς χρόνον ᾖ ἡ ψυχή, ζῶντα παρέχεται. Οὐδέ γε ὅπως ἄφρων ἔσται ἡ ψυχή, ἐπειδὰν τοῦ ἄφρονος σώματος δίχα γένηται, οὐδὲ τοῦτο πέπεισμαι· ἀλλ' ὅταν ἄκρατος καὶ καθαρὸς ὁ νοῦς ἐκφυῇ, τότε καὶ φρονιμώτατον εἰκὸς αὐτὸν εἶναι. Διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου, δῆλά ἐστιν ἕκαστα ἀπιόντα πρὸς τὸ ὁμόφυλον, πλὴν τῆς ψυχῆς· αὕτη δὲ μόνη οὔτε παροῦσα οὔτε ἀπιοῦσα ὁρᾶται.*

81. *Jam vero videtis — relaxaverint*] Xenophontis haec sunt;

mi maxime declarant divinitatem suam: multa enim, quum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, quum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote, ut Deum: sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen, Deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis."

XXIII.

sunt; l. c. §. 21. ἐπηρώσατε δή, ἔφη, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδὲν ἴσμεν ὄντες· ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τότε δήπου θειοτάτη καταφαίνεται, καὶ τότε τι τῶν μελλόντων ῥοῤῥῷ· τότε γάρ, ὡς ἔοικε, μάλιστα ἐλευθεροῦται. Scilicet notissimum est, antiquos somniis divinandi vim tribuere. Somnum mortis esse imaginem, antiquitus jam celebrata fuit sententia. Cff. Homerus *Iliad.* XVI. 682. et XIV. 231. Hesiodi *Theog.* 755. Virgilii *Aeneis* VI. 278. Aelian. *Var. Hist.* II. 35. Plutarchus *Consol. ad Apollon.* p. 107. F. aliique passim.

Quare si haec ita sunt — inviolateque servabitis] Graeca quae a Cicerone expressa sunt, his verbis complectantur §. 22: εἰ μὲν οὖν οὕτως ἔχει ταῦτα, ὥσπερ ἐγὼ οἶμαι, καὶ ἡ ψυχὴ καταλείπει τὸ σῶμα, καὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταδούμενοι ποιεῖτε ἃ ἐγὼ δέομαι· εἰ δὲ μὴ οὕτως, ἀλλὰ μένουσα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι συναποθνήσκει, ἀλλὰ θεούς γε τοὺς ἀεὶ ὄντας, καὶ πάντ' ἐφορῶντας, καὶ πάντα δυναμένους, οἱ καὶ τήνδε τὴν τῶν ὅλων τάξιν συνέχουσιν ἀτρεβῆ καὶ ἀγήρατον καὶ ἀναμάρτητον καὶ ὑπὸ κάλλους καὶ μεγέθους ἀδιήγητον, τούτους φοβούμενοι, μή που ἀσεβὲς μηδὲν, μηδὲ ἀνόσιον, μήτε ποιήσητε, μήτε βουλεύσητε.

Sic me colitote ut Deum] Mihime haec conveniunt cum Xenophontis τὴν ἐμὴν ψυχὴν καταιδούμενοι. Sed poterit illa dissensio explicari ex iis, quae a Cicerone dicuntur *Tusc. Disp.* I. 26. "*Ergo animus, ut ego dico, divinus est, ut Euripides audet dicere, Deus*" Euripidis versum servat Theon Sophista *Progymnasm.* p. 79. estque ejusmodi:

ὁ νοῦς γὰρ ἡμῖν ἐστὶν ἐν ἑκάστῳ θεός.

Conf. Valckenarii *Diatrib Eurip.* p. 238. et Plutarchus *in Platon. Quaest.* p. 909, E. Et sane toties Cicero animum *Deum* vel *divinum* appellat, veluti *Tusc.* V. 13, *De Divin.* I. 49. *De Natur. Deor.* III. 5. *de Legib.* I, 22. *De Finib.* II. 34, ut mirum non sit, eum in interpretando Xenophontis verba levi mutatione suae sententiae accommodasse.

XXIV.

XXIII. 82. Cyrus quidem haec moriens. Nos, si placet, nostra videamus. Nemo unquam mihi, Scipio, persuadebit, aut patrem tuum Paullum aut duos avos, Paullum et Africanum, aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent, posteritatem ad se pertinere. An censes — ut de me ipso aliquid more senum glorier — me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem, et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed, nescio quomodo, animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi, quum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, ut animi immortales essent, haud optimi cujusque animus maxime ad immortalitatem gloriae ni-

to-

XXIII. 82. *Nos si placet nostra videamus*] Commemoratis et expositis Pythagorae Platonis et Xenophontis rationibus, quibus animum immortalem esse contenderent, suam ipse sententiam Cato addit.

An censes, ut de me ipso glorier — essem terminaturus] Copiosius haec item explicat Cicero *Tusc. Disp.* I. 12 — 15, cujus disputationis hic est exitus: „*Quid in hac republica tot tantosque viros ob rempublicam interfectos, cogitasse arbitramur iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, et vetera et externa quaeram, mihi: sed nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis, altissimisque animis et exsistit maxime et apparet facillime. Quo quidem demto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret.*"

Otiosam aetatem] I. e. vitam, quae in re publica gerenda non occupata est.

Tum denique victurus esset] Confer, quae ad illam philosophorum sententiam explicandam notavimus supra, ad Cap. XXI. §. 77. p. 65.

83.

teretur. 83. Quid? quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo, nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci: ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi: neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem. Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari. 84. Quid enim

83. *Sapientissimus — stultissimus*] Supra ad Cap. I. §. 4. p. 6. leviter illam *stultitiae* et *stulti* significationem attigimus.

Obtusior sit acies] Oculorum scilicet; quales oculi, figurata significatione, animo esse dicuntur.

Equidem efferor studio patres vestros — videndi] Cicero, sive Cato ex ingenio Ciceronis, imitatur Platonem *Apolog. Socrat.* §. 32. p. 40. E: quem locum Cicero sic fecit latinum *Tusc. Disp.* I. 41. » *Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt, id multo jam beatius est, te, quum ab iis, qui se judicum numero haberi velint, evaseris, ad eos venire, qui vere judices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, convenireque eos, qui juste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis.*" cetera.

Neque tamquam Peliam recoxerit] I. e. neque ad pristinam juventutem revocare me potuerit. Jasonis rogatu Medea Peliae filiabus persuasit, ut patrem in partes dissecarent et coquerent, in spem eas inducens inanem, fore ut pater juvenilem recuperaret aetatem; atque, ut fidem ipsi haberent, arietem in partes dissecato et cocto, agnum produxit; qua mutatione deceptae patrem Peliam interfecerunt, Apollodorus *Bibl.* I. 3, 27. Diodorus Siculus IV. p. 294. Ovidius *Metam.* VII, 297. et Plautus *in Pseudolo* Act. III. Scen. II. 80.

Ad carceres a calce] *Carceres* sunt claustra *circi* et *calx*, i. q. *meta* ejusdem circi terminus. Hinc proverbialiter dictum est de vita humana, quam quis denuo a juventute vivere nolit. Sic Varro *de Re Rust.*

enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane; habet certe tamen aut satietatem aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi et ii docti saepe fecerunt: neque me vixisse poenitet, quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum diem, quum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar, quumque ex hac turba et colluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior! Cujus a me corpus crematum est — quod contra decuit ab illo meum — animus ve-

vo

I. 3. » *et a quibus carceribus decurrat ad metas.*

84. *Quid enim habet vita commodi*] Hunc locum jam copiose tractavit Cicero *Tusc. Disp.* I. 31 — 34.

Neque me vixisse poenitet — natum existimem] Hoc artissime consentit cum eo, quod Cato supra dixerat Cap. XVII. §. 70. » *Breve enim tempus aetatis satis est longum ad bene honesteque vivendum.*" Eandem sententiam profert etiam Virgilius *Aeneid.* X. 467.

Sua stat cuique dies; breve irreparabile tempus
Omnibus et vitae; sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus.

Et ex vita ita discedo — habitandi locum dedit] Eandem sententiam aliter ornat Cicero *Tusc. Disp.* I. 39. » *Dedit nobis natura usuram vitae, tamquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit quum vult? ea enim conditione acceperas.*" Sic Lucretius *de Rer. Nat.* III. 985.

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Simili ratione vitae usum explicaverunt Marcus Aurelius *de Reb. Suis* II. 17. p. 58. Gatak, Plutarchus. *Consol. ad Apol.* p. 106, F. Seneca *ad Polyb.* 29.

Verum etiam.] In aliis editionibus est *sed etiam.*

Ad Catonem meum] I. e. filium M. Catonis, quem ipse indicendo supra laudaverat Cap. XIX. §. 68. p. 58. ubi nostra videatur annotatio.

Sed

ro non me deserens, sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quo aequo animo ferrem; sed me ipse consolabar existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore. 85. His mihi rebus, Scipio, — id enim te cum Laelio admirari solere dixisti — levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam jucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, sic vivendi modum. Senectus autem aetatis est peractio, tamquam fabulae: cujus defatigationem fugere debemus, praesertim adjuncta satietate. — Haec habui, de senectute quae dicerem; ad quam utinam perveniatis! ut ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis.

Sed respectans] *Respectare* suaviter et cum insigni affectus significatione de proficiscentibus dicitur. Veluti apud Lucretium *de Rer. Nat.*. VI. 1229 sqq.

Illud in his rebus miserandum et magnopere unum
Aerumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, moesto cum corde jacebat
Funera respectans, *animam et mittebat ibidem.*

85. *Admirari solere dixisti*] Nimirum Cap. II. §. 4.

Extorqueri] I. e. Hanc mihi opinionem etsi falsam vi eripi nolo.

Ut quidam minuti philosophi censent] His Cicero Epicureos intelligit, quos saepius reprehendit *de Nat. Deor.* III. 1. *Tusc. Disp.* I, 23. *De Divin.* I. 30. et *de Amic.* Cap. 8.

CORRIGENDA IN ANNOTATIONES

P. 2. vsu. 12. *ad epist.* corrige *in Epist.*
P. 5. vsu. 2. τοὶς corrige τοῖς
P. 46. vsu. 1. *Claviculi* corrige *Claviculae*
P. 56. vsu. 17. *veantione* corrige *venatione*

Si alia quaedam operarum vitia nobis, preli specimina emendantibus, effugerint, haec ipse ut corrigat, Benevolum rogamus Lectorem.

INDEX VERBORUM

QUAE IN ANNOTATIONE ILLUSTRANTUR.

Accipere, 24.
Adesse alicui, 34.
Aetas, 28.
Affectus, 41.
Agere, 9.
Agitatio, 22.
Ἀνάγκη, 5.
Apex, 54.
Arbores in quincuncem directae, 53.
Arripere, 24.
Aspernari, 56.
Auctoritas, 16.
Bellare *aut* pugnare *cum Deo*, 7.
Βιὸς ἄβιωτος, 9.
Calx, 75.
Carceres, 73.
Carere, 8.
Cavea, 42.
Certe, 13.
Cesso, 18.
Clava, 51.
Clavicula, 46.
Condita comitate, 113.
Conditior, 50.
Consistere, 64.
Consitio, 48.
Convenire aliquem, 30.
Coquere, 2.
Crebrum funale, 39.
Cruditas, 58.
Culmus, 45.
Curare, 58.
Dare fabulam, 43.
Degere, 4.
Describere, 43.
Deum sequi *vide* Sequi.
Dius Fidius, 63.
Docere, 27, fabulam 43.
Docti, 14.
Domus, 53.

Εδώ-

Ἐδώλια, 18.
Efferre, 10.
Ἐκφέρειν, 10.
Elogium, 20, 54.
Emancipare, 33.
Ἐπεσθαι θεῷ, 6.
Ἐπιτέμνειν, 51.
Equi Sophoclei *proverb.*, 15.
Excipere, 19.
Exsequi, 27.
Extorquere, 75.
Fori, 17.
Funale, 39.
Geniculatus, 45.
Genus, 40.
Haud scio an nulla, 49.
Hic, 15.
Immissio, 47.
Imperium, 45.
Insipiens, 15.
Instituere, 27.
Institutum, 24, 31.
Interdicere, 21.
Ipse, 25.
Jugatio, 47.
Latera, 16.
Leges *et* instituta, 31.
Locus, 25.
Magisterium, 40.
Malleolus, 46.
Mancipari alicui, 53.
Μέδω, 3.
Mensae exstructae, 38.
Mittere ad aliquem, 4.
Moderari et Moderatio, 3.
Morosus, 57.
Nautea, 18.
Necessitas, 5.
Non modo *pro* non modo non, 31.
Nullus, 69.
Occoecatum, 45.
Occupare, 49.
Occurrere, 3.
Ὁδοιπόροι, 49.
Officium, 50.
Otiosus, 72.
Pampinus, 47.
Penus, 50.
Πέσσειν *vel* πέπτειν, 2.
Φιλοσόφοι et φιλοσωμάτοι opponuntur, 64.
Praeceptum, 24.
Praecidere, 51.
Propago, 46.
Prope, 42.
Πρόσωθεν, 42.
Provectus sum, 48.
Quorsum *et* Quorsus, 14.
Recordari, 69.
Reminisci, 69.

Remissus, 26.
Respectare, 75.
Rex, 51.
Rostra, 29.
Scribere alicui, 4.
Sententia, 18.
Sentina, 18.
Sequi Deum, 6.
Siccitas *et* Siccus, 31.
Silvesco, 46.
Sodalitas, 39.
Σοφοὶ, 14.
Stultus, 6, 73.
Suadae medulla, 44.
Succidia, 50.
Συμποσίαρχος, 41.
Tabulata, 18.
Τέλος, 37.
Θεομαχεῖν, 7.
Vadimonium, 21.
Versare, 2.
Viatores, 49.
Viviradix, 46.
Τλομανέω, 46.
Ut in, 13.